

Gerhard, Johann Ernst

Ekeğec'i hayerēn sive Dissertatio de statu Armeniae ecclesiastico et politico, tam pristino, quam hodierno

Jena 1665

4 Diss. 2228#Beibd.11

urn:nbn:de:bvb:12-bsb00031341-6

VD17 12:179206C



ՀԱՅԵՆՆԵՐԻ  
ԿՆԻՒԹԵՐԵՆ

SIVE  
DISSERTATIO  
DE

STATU ARMENIAE  
ECCLESIASTICO ET POLITICO,  
TAM PRISTINO, QUAM HODIERNO,

*Quam*  
DEO TRINUNO CLEMENTER ANNUENTE,  
Sub Moderamine

*Pl. Reverendi, Excellentissimi atque Amplissimi*

DN. JOH. ERNESTI GERHARDI,

SS. Theol. D. ejusdemque in incluta Academia Salana  
Prof. Publ. famigeratissimi,

Dn. Patroni, Praeceptoris & Promotoris summo animi grati  
cultu & pietate æternum devenerandi,

*Publica luci ac Eruditorum ventilationi subjicit*

AUCTOR

M. MARTINUS KEMPIUS, P.L.C.

Regiomontanus - Prussus,

ANNO O. R. ԸԼԾ ԼԾԸ LXV. Mense Januario.

Typis Iohannis Jacobi Bauhofferi.





\*\*\*\*\*

MAGNO. REI. LITTERARIAE. ORNAMENTO.  
ET.

ACERRIMO. ORTHODOXIAS. PROMACHO.  
VIRO.

PLURIMUM. REVERENDO. EXCEL-  
LENTISSIMO. AMPLISSIMO.

DN. JOANNI. MAUKISCHIO.

SS. THEOL. DOCTORI.

GYMNASII. INLUSTRIS. GEDANEN-  
SIUM. RECTORI.

UT. ET.

AD. SS. TRINITATIS. PASTORI.

LONGE. MERITISSIMO.

LONGE. CELEBERRIMO.

PRAECEPTORI. OLIM.

JAM. FAUTORI. AC. PATRONO. SUO.

OPTUMO. MAXIMO.

IN:





IN. SERENUM. NOVI. ANNI. AUSPICIUM.  
MORE. MAJORUM.  
FELICITER! FELICITER! ACCLAMAT.  
OMNIGENAM. SALUTEM,  
QVAE. ILLUM.  
JUXTA. SOLENNEM. VETERUM. FORMULAM.  
ANNARE. ET. PERENNARE.  
JUBEAT.  
APPRECATUS.  
SIMULQVE.  
HANC. SUAM. DISSERTATIONEM.  
CHARTACEUM. XENIUM.  
IN. DEBITAE. OBSERVANTIAE.  
ET. PII. AFFECTUS.  
SYMBOLON.  
AC.  
ULTERIOREM. SUI. COMMENDATIONEM.  
IPSIS. KALENDIS. JANUARIIS.  
DAT.  
OFFERT.  
CONSECRAT.  
AUCTOR.





PEREXIMIO ATQVE CLARE DOCTO,  
DN. M. MARTINO KEMPIO,

Regiomontano-Boruffo, Poëtæ Laureato Cæsareo,  
ac SS. Theol. Cultori strenuo,

JOH. ERN. GERHARDUS D.

S. P. D.



t ut ferè communiter com-  
paratum naturá ita fit, ut  
proximorū minùs curiosi  
longinqua affectemus: haut  
facile tamen reperias, qui non agel-  
lū in suburbano excolere malit, quàm  
campos à vulgo derelictos arare. Cu-  
jus quidem rei hæc esse causa vide-  
tur, quòd hîc plusculum impendi la-  
boris debeat, & spes insuper commo-  
di alicujus percipiendi non adeò ap-  
pa-

pa-



pareat certa. Evenit hinc, ut de hodierno religionis apud Christianos in Asia & Africa statu vel parum admodum proditum memoriae sit, vel si quae scriptis mandata, nimis aperte partium loquantur studium, quin magna ex parte sint fabulosa. Atque in hac ipsa, quam contractioribus his diebus doctâ versare TIBI placuit, de Ecclesiâ Armenicâ materia, quot, quæso, sententiarum videre dividias licet, quot ænigmata, quot fabulas, imò quot opinionum monstra, calumniandi libidine adversus innocentes Armenos conficta. Licet enim affirmare minimè sustineam, quòd nulli in Christianâ doctrinâ er-



rori affines illi sint, persuaderi tamen  
mihi haut patiar, ut credam, omnia  
illa, quæ sive Græci, sive Papicolæ de  
Armeniorum religione scriptis pro-  
diderunt, è tripode esse profecta.  
quin adferere haut dubito, non omni-  
nò nulla ab his de illis, reclamante ve-  
ritate tradi. Optandum hinc, ut Fi-  
dei Confessionem propriâ non gentis  
solùm linguâ exaratam, sed quæ ge-  
nuinam Ecclesiæ Armenicæ mentem  
exprimat, videre detur. Etenim  
quam anno seculi hujus quarto supra  
trigesimum Societas Typographi-  
ca librorum Officii Ecclesiastici Lu-  
tetia Parisiorũ, (unde etiam quindecim  
abhinc annis mecum huc attu-  
li)



li) luci dedit, sub titulo : Doctrina  
Christiana, à Petro Paulo, Sacerdote  
Armeno versa in Linguam Arme-  
nam. haut magis fortè ea Armenicæ  
Ecclesiæ fidem prodit, quàm Calvinii  
Institutiones, si quis in linguam eas  
transferre Armenam velit. Unde et-  
iam vehementer vereor, ne oleum o-  
peramque perdiderint Papicolæ, si di-  
cti libri exempla in Asiam ad Arme-  
nos miserunt, persuasi, fore, ut isto illi  
modo ad amplexandam doctrinam  
Pontificiam alliciantur. Quantun-  
enim discriminis Armenicam inter  
& Papisticam (quam liber ille ex asse  
prodit) doctrinam sit, constat, & præ-  
primis manifestum id dedisti præsen-  
ti



ti Dissertatione. Quæ sicuti egregia  
raræ Tuæ eruditionis pulcerrimæque  
indicina est, ita nullus ambigo, quin  
& Patronorum ea Tuorum desideriis  
abunde factura satis sit, simulq; eru-  
dito ostensura Orbi, quid litterarum  
amarii polliceri sibi de Te propediem  
habeant. Divinam ego pietatem seriis  
fatigabo precibus, ut conatibus  
Tuis, qui non nisi laude dignissimi  
sunt, porro faveat. Jenæ è museo pa-  
terno d. 2. Januarii Anni cło lcc

LXV.





## ΠΡΟΑΥΛΙΟΝ.



Erisfima vox est Philosophorum Primicerii : (a) Πάντες ἀνθρώποι ἢ εἰδέναι ὀρέγονται φύσιν. Nam animus, divinae imaginis particula, perpetuis agitatur stimulis, ut cælo, unde hausit originem, magis magisque adpropinquet. Inde indefesso conatu non tantum obviamur,

sed etiam quæ amplissimis à nostrâ oculorum acie distant intervallis, lumine mentis perquirat. Totum hoc splendidissimum cæli & terræ systema, (Mundus) cum delectamento lustrandum se nobis offert, atq; ad jucundum blandientium amœnitatum spectaculum nos tantum non rapit. Exspaciari licet quò libet, in omnes fines & extremitates, mirari cujuscunque symmetriam, regnorum naturas, gentium dominatus, imperiorum fundamenta, exaltationes & fatales periodos. In nitidissimo veluti speculo apparebunt singula, ubi fidum nobis adjunxerimus hodegetam, Historiam, quæ, ut eloquentissimi Romanorum calamo utar, (b) *testis temporum, lux veritatis, vita memoria, magistra vite, & nuncia vetustatis*, in quam ne mortis quidem rapacitas jus ullum habet, meritissimo jure appellatur. Illa nos levi ductu in abditissima rerum penetralia deducit, omniumque populorum ac posterita-

A

tis

(a) Arist. 1. Metaph. 1. (b) Cic. de Orator. T. 1. p. 202. §. 19.



535  
tis oculis dudum gesta exhibet; tuba est, ad cuius clangorem excitantur, qui obscurâ oblivione sepulti erant. Ita possumus cum Themistocle in mari, cum Leonide in terrâ pugnare! Ad Historiæ commercium si quis sororem, Geographiam pelliciat, sine periculo ad ignotissima & ipso pene sono horrenda loca, pertingere potest, quin brevi totos ediscere mundos. Nec habet quod metuat, jam rigidos aquilones & remoras, nunc mare turbidum, aut infames scopulos ac Pirateria, sed felicissimo semper sidere ad Cynosuram Tabellæ Geographicæ naviculâ chartæ molis peregrinatur. Charybdin videt sine naufragio, Sirenes audit absque vinculo. Talismodi tuta peregrinatio Mandatum Salvatoris de Evangelio universo terrarum orbi prædicando oppidò in memoriam nobis revocat, & religionis Christianæ, in ultimis etiam Asiæ & Africæ oris, ex Apostolorum ministerio, vestigia commonstrat. Etenim *ne unum quidem genus mortalium*, habet Justinus (a) Apostolis maximè vicinus, *sive Barbarorum, sive Græcorum, seu etiam aliorum, quocunque veniant nomine, ne eorum quidem, qui pro domibus plaustris utuntur, ac in tentoriis agunt pastoritius, inter quos per nomen crucifixi Jesu supplicationes & gratiarum actiones Patri & fabricatori rerum omnium non fiant.* Hæc altius ego mecum pensitans suasu Maximè Reverendi Dn D. Gerhardi, Præceptotis & Promotoris mei, sanctissimo pietatis cultu nullo non tempore de venerandi, Asiaticæ Ecclesiæ operam locare operæ pretium putavi. Gravisimum equidem & juvenilibus humeris imparem laborem prima fronte judicabam; eum tamen insignis Dn. præsidis favor haut mediocriter levabat, siquidem illustre Musarum domicilium & commune eruditionis ærarium, bibliothecam suam pervolvendi, copiam mihi faciebat. Animare ad hoc onus subeundum

(a) *Dial. cum Tryph.*

ea me



ea me perfacile poterat, verum accedebat insuper argu-  
 menti, quod sua se raritate commendat, ratio. Ita enim  
 ferè cum ingeniis hominum comparatum est, ut in pere-  
 grina majori proclivitate ferantur, atq; sollicitius curent,  
 quæ foris aguntur, quam quæ domi quotidianâ sese con-  
 suetudine insinuant. Iter in Armeniam aggredior, lon-  
 gum certè & difficile: adeò, ut argutum Ulysses & pru-  
 dentem Jasonem postulet, navarchos prisca ævi decanta-  
 tissimos, qui vortices, interque se bellantes Sententiarum  
 turbines elabi norint. Interim tamen vires ingenii ten-  
 tandæ, postquam instrumentum nauticum, aliaque non-  
 nulla subsidia, ex florentissimis Antiquæ Doctrinæ pro-  
 miscondis conquisita sunt. Cæterum Supremo Numini,  
 (ut Pagani olim nautæ suis Dis) pro felici itu & reditu  
 votis nuncupatis rudentem solvo, cœlestis favonii gra-  
 tiam mihi pollicitus. Tu verò Benevole Lector, qui me  
 novitatis cupidine relicta Europâ terras alio sub Sole ca-  
 lentes invisere vides, sicubi à recto itineris tramite ad avia  
 deflecto, humanissimè condona.

## CAPUT PRIMUM.

*I. Denominatio Ecclesie Armenicæ à regione. Tres ibidem sectæ  
 Christianorum. Variæ sententiæ circa nomen Armenia. De  
 Harmenio Jasonis socio ex Strabone. Josephus à Bocharto  
 correctus. II. Armeni ad Phryges referuntur. De lingua  
 Armenica antiqua & hodierna. Aram Pater eorum.  
 Reineccii sententia. III. Aram variis locis tribuitur. Qui  
 Aramai? A Græcis Syri vocantur. Non sunt Armeni. No-  
 men Armenia ex Ebraeo deductum.*

§. I.

**F**Amiliare ac frequens est navigaturis, de nomine loci  
 ad quem collineant, non nihil ante præfari, quam in-  
 grediantur Oceanum; idem ego etiam mihi impræsen-  
 tiarum observandum censeo, ne quis de neglectis per-



egrintantium legibus me vel arcessat, vel cœco circum-  
vagari impetu, & ἀμεθοδία crimē admittere arbitretur.  
Quod itaque ad nomen Ecclesiæ Armenicæ attinet, de-  
scendit illud à Regione Armeniæ in Asia, ubi tres Christia-  
norum ordines seu sectas reperiri, tradit Auct̄or Gallicus  
in libro cui titulus: *Les États Empires & Principautés du  
Monde, par le Sieur D. T. V. Y. (a)* videlicet *Melchitas*, qui-  
bus Georgiani adnumerantur, *Nestorianos*, & *Dioscorianos*,  
qui iterum in novas cohortes separantur, utpote in *Jaco-  
bitas*, *Costitas* & *Armenios*. Non verò sortita est nostra Eccle-  
sia nomen ab Armenia idcō, quod solummodo illius po-  
mœriis inclusa sit, sed, quia ibidem fundata est, atque in-  
de incrementa sumfit. Regionis autem hujus denomi-  
natio ex quonam fonte fluat, non una Scriptorum est sen-  
tentia. Quidam Græcos salutare latices, & Harmeniam  
ab Harmenio nuncupare amant, præeunte rerum omnium  
indagatore solertissimo Strabone (b) his verbis. *De Al-  
banis quidem hæc tradunt: Jasonem cum Harmenio Thessalo,  
cum in Colchos navigaret, usque ad mare Caspium profectum, in  
Albaniam Iberiamq; processisse, & Harmeniæ ac Mediæ multum  
peragrasse, ut Jasonia & alia compluria monumenta testantur.  
Harmeniam verò ex Harmenio fuisse, quæ Civitas Bæbeidi lacui  
proxima est, inter Pheras & Larissam, atq; eam Acilesinam & Sy-  
spiretim habitasse usq; in Calachanam & Adiabanam, atq; Har-  
meniam de suo nomine appellasse. Quæ tamen opinio ut di-  
gnos habeat tibicines tantum abest, ut potiùs absque ap-  
plausu dimittenda sit, cum fabulosa nimis videantur, quæ  
de Jasonia navigatione antiquitas memorat: quanquam  
non ignorem commune illud κρησφύγετον Vatum hîc præ-  
tendi, (c) quod remotas historias involucris de fabula*

petitis

(a) Impress. Lutetiæ Anno 1609. apud Pierre Chevalier (b) Geograph.  
ib. XI. p. 342. (c) vid. Vadiani Epitomen Geograph. p. 200.



petitis involvere solenne habeant, ne, dum prodesse vel-  
lent, condimentum scriptionis, delectationem appone-  
re intermitterent. Accedit insuper & hoc, quo minùs  
calculus meum illi addam, quod κεικώτατον & φιλαλη-  
γέστατον Antiquitatum indagatorem *Josephum* adversantem  
habeat; quippe qui Otrum Arami filium, vel juxta ἀκεί-  
βιας Bocharti (a) Otum, à quo Otene Armeniæ pars in-  
ter Cyrum & Araxem, nomen traxit: sive, ut in sacris li-  
teris appellatur, *Hul*, vel *Chul*, (b) Armeniorum Patrem  
producit, ut ut aliis ad Palmyrenos hunc transferre pla-  
ceat, ubi Ptolomæus ponit oppidum *Cholla*, quod cum i-  
pso nomine *Hul* vel Hebræο חול affinitatem habet.

II. Nonnulli, qui antesignanis gaudent Herodoto  
ac Stephano, ad Phrygum gentem Armenios collocan-  
dos esse existimant, cum linguam Phrygiam in pluribus  
imitentur: allegatus autem Strabo (c) longè aliter, in  
hunc modum scribens: Τὸ γὰρ Ἀρμενίων ἔθνος ἔστι καὶ τῶν Σύ-  
ρων, καὶ τῶν Ἀράβων πολλὴν ὁμοφυλίαν ἐμφαίνει καὶ τε τὴν διαλέ-  
κτον, καὶ τοὺς τῶν στόματων χαρακτῆρας, καὶ μάλιστα κατὰ πλησιόχω-  
ροι εἰσὶ. h. e. *Armeniorum, Syror. & Arabum gentes, multum præ se  
ferunt cognationis, sermone, vitâ, corporum formâ, maximè ubi  
vicini sunt.* Quibus laudatus Orientis perscrutator Bo-  
chartus eruditam suam ἐπιχειρῶν adjicit his verbis: (d) *Veri-  
simile est, Armenos partim ex Syris, partim ex Phrygibus coaluis-  
se, & ex gentis utriusque linguâ tertiam conflavisse. Saltem  
Syriacè scripsisse, videtur posse colligi ex his Polyani de Eumene (e)  
ἔπιπολὴν παροσηνεγκεῖ ὡς παρὰ Ὀρόντη Σατραπῆς τῆς Ἀρμενίας  
γεγεαμυδὸν Συείοις γεγαμυασι. Epistolam protulit Syriacis li-  
teris scriptam, tanquam ab Armenia Satrapâ Oronte.* Adpro-

(a) *Geographiæ Sacr. Part. 1, Phaleg. lib. 2. cap. 9. pag. 91.* (b) teste  
*Hieronimo tom. 3. Quæst. Hebr. in Genes. p. 381. Conf. Leonhard. Marius in  
Genes. 1. pag. 127.* (c) apud Bochart. lib. d. p. 92. & ex eo Hottinger. *differ-  
tat. Theol. Philol.* (d) *ibid.* (e) *lib. 4.*



bent Phrygiam originationem, quibus consultum videtur. Hodiernam eorum linguam *Ebraea conjunctissimam esse, non secus ac Indicam, Arabicam, & Syriacam* Franciscus Junius (a) *ἀνατολιχογλωττογνωσίας* laude aliàs non incelebris adserit; Alii autem viri in hoc foro prætoriae dignitatis, exiguam prorsus convenientiam animadvertere possunt, rationes adversus Junium ex qualitate & formatione vocum desumentes. In Armenico idiomate proluxa vocabula occurrunt, & exinde plures radices habent, cum contrà in Hebræo quælibet vox tribus plerumque literis radicalibus, rarò pluribus aut paucioribus constet. (b) Faventiori sidere inscrutando Armeniorum ortu laborasse sibi persuaserunt, qui *Aram* Semi filium, Noæ nepotem, Armeniorum conditorem esse arbitrantur; putantes, quòd, quemadmodum à *Chamo* Ægyptii, Æthiopes, Mauri, Numidæ & Babylonii: à *Japeto* Scythæ, Turcæ, Sarmatæ Græci, Itali, Germani, cæteri que qui Europam cum adjunctis Insulis tenent, originem trahunt: ita *Semus*, seu potius ipsius filius *Aram*, Indos, Medos, Persas, Ismaelitas & Armenios constituerit. (c) Ut proinde proxima eorum origo Syriaca sit, ceu ipse etiam Strabo insinuat, (d) cui insignis Chronologus & Antiquarius Reiner. Reineccius (e) concinit, statuens, *Syros nomen Armeniorum non in terram Armeniam invexisse, sed ab hac mutuatos accepisse, deposito autò gentilitiò Aramæi.*

III. Nec latet aliàs Historiarum amasios, eundem *Aram* dedisse Syriæ nomen, quod apud Ebræos admodum late

(a) Orat. de Ling. Ebr. Neapoli habita, ac Grammat. Ebr. affixa. Conf. D. Brian. Walton. Bibl. Polyglott. Prolegom. 1. pag. 4. §. 14. (b) Buxtorf. Thes. Gramm. cap. 6. pag. 64. (c) Theodor. Bibliander. demonstrat. Chronologic. pag. 168. Gilbert. Genebrard. Chronographia lib. 1. pag. 47. A. M. 1949. (d) vid. supra citata l. (e) Syntagmat. de Famil. tom. 1. pag. 262.



latè patet, & ad diversas sex regiones extenditur, quæ omnes generali nomine אַרַם, sive Aramia appellantur. (a) Celebriores inter illas vulgò tres judicantur, scribit Marius (b) videlicet אַרַם פַּדְדַן Aram paddan, seu Aramia campestris, quæ non rarenter אַרַם נַהַרַיִם Aram Naharajim dicitur, i. e. Armenia duorum fluviorum sive Mesopotamia, uberrima felicissimaque regio inter duos fluvios Euphratem & Tigrim sita, quamvis aliud Augustinus (c) sentiat. II. אַרַם דַּמַּשְׁקַא Aram Damesc, seu Syria Damascenai inter Libanum & Anti Libanum. III. אַרַם צוֹבַא Aram Zoba, Græcis Συρία Κοίλη Cæle-Syria. Talis si procedit derivandi ratio, Aramia cum Armenia coincidet, hujusq; incolæ, Armenii, plane illi ipsi erunt ac Aramæi, sive Arimi, quos Pœtarum Phœnix *Homerus* etiam nominat, & Strabo (d) Posidonium sequutus, docet, accipiendos esse non locum aliquem Syria, vel Cilicia, vel alius terra, sed Syriam ipsam; Arimæi enim sunt, qui in ea habitant, & fortasse Græci eos Arimæos vel Arimos vocabant, nominum enim mutationes permulta sunt, & præsertim Barbarorum. Josephus quoque (e): Aramæos verò Aramus habuit, quos Græci Syros vocant. Sed ut ne cum Ixione nubem pro Junone, & meras allusiones pro verâ Etymologiâ aliquis arripiat, atque Armeniam ab Aram præcisè denominari credat, eò quòd Syriam Septentrionem versus terminat, cum ipsi negent Syri, Armenos & Aramæos eosdem esse, sollicitius circumspiciamus oportet. Neque est, ut quis objiciat, Armeniam ab Aram occupatam fuisse, siquidem Syria ac Armenia in tantam amplitudinem effunduntur, ut non duabus tantum, sed pluribus gentibus præbere queant hospiti-

tium

(a) Joh. Buxtorf. Lexic. Thalmud. Rabbin p 219. D. Brian. Walton. Bibl. Polyglott. Proleg. 13. pag. 87. (b) in cap Gen. 25. num. 11. pag. 200. (c) Locut. l. 1. in Genes. cap. 28. Bochart. lib. 2. cap. 6. pag. 89. (d) l. XI. p. 358. (e) Antiq. Jud. 6. VI.



tum. Adducta verò sententia uti quidem locum habere potest; ita non improbanda mens eorum, qui anxii locorum investigationibus relictis, proximè ad arcem rei accedunt, & ex Hebræo appellativo ארמנא hæsisse nomen Armeniæ autumant: (a) ארמנא enim significat *altum*, Armenia verò omnium terrarum altissima est: vel si mavis ab ארמון monte & מיני, Minni, regione montanâ, quam cum Ararat conjungit Prophetæ Jeremias cap. 51. v. 27. (add. Mich. 7. 12.) pro quo Chaldaeus non malè posuit הרמיני Harmini, i. e. *mons mini*, ex quâ voce composita Armenia appellationem sumsisse videtur. (b) Quibus expeditis littora relinquimus & altiùs provehimur.

## CAPUT SECUNDUM.

I. Magnitudo Armeniæ, è Justino & Haythono. Divisio in Minorem, & Majorem. Regnum quondam florentissimum. Urbes præcipue. fertilitas. Civitas Glacia opulentissima. II. Situs Armenia Majoris. Montes, Amnes, Paludes, Civitates, thermæ. Fons pingui liquore abundans. III. Diversorum placita de monte, cui arca Noë incubuit. IV. Gubernatio antiqua Armeniæ obscura. Fuit penes diversas gentes. Ad Romanos tandem delata. Reineccii industria laudatur. Quinam primus Rex. In IV. olim Regna Armenia divisa. Sennacheribi filii fratrem debellant, adjuvi ab Armeniis. Astyages vincit. Persæ Satrapas concedunt. Tributum Persis exsolvendum. V. Antiochus Præfectos constituit, hi illam eripiunt & dividunt. VI. Tigranis vita, gesta, insolentia, à Pompejo depressa. Ex quo Romanis paruit Armenia. VII. Minoris Armen. Reges. Dejotari encomium & facta. A Nerone in provinciam mutatur.

(a) Marius Comment. in Biblia ad cap. Genes. 10. 22. num. 83. pag. 127. Hottinger. dissertat. Theol. Philolog. 3. pag. 179. (b) Bochart. Phalleg. lib. 1 cap. 3. pag. 22.



*tur. VIII. Majoris Armen. Reges Tigranis pericula. Assi-  
 ratum quid. IX. Mutationes suborta. Vologesus contra Rha-  
 damistum arma capit, & fame repellitur. Tiridates  
 Rex. à Corbulone discedere cogitur. Restituitur à Nerone.  
 Medorum irruptiones. X. Traianus denuo in provinciam  
 mutat. Hadrianus solvit. Gesta L. Veri & Avidii. Odium  
 Persarum in Armenios. Vexantur ab Hunnis, Cosrhoë, ejusq;  
 filiis, subjugantur à Turcis. Caliphæ vox. Bizarus notatus.  
 Nomen Regni à Justiniano deletum. XI. Status ejus sub Con-  
 stantini & Michaëlis Imperio. Tatarum. Mango Chan & Sul-  
 tanus quid? Argonautarum Christianorum expeditio. No-  
 vum regnum adornatum, & confirmatum. Confusio no-  
 va. Constans ad Tataros deflectit, succumbit regnum sub  
 Turcis. XII. Digressio ad Armeniorum mores, benevolentia  
 erga Germanos commendatur.*

§. I.

**N**unc ubi vento & amne secundo in Asiam delati su-  
 mus, littus anchoræ mordent, carbasa complicata,  
 & Phaselus alligata quiescit, tempus & cupido co-  
 gnoscendi nova, intrare Armenicum solum suadent. Ma-  
 gnitudo ejus juxta veterum constitutionem omnes reli-  
 quorum post Parthiam regnorum fines excedit. A Cappa-  
 docia testante Justino (a) ad mare usq; Caspium undecies cen-  
 tena millia patet; in latitudinem verò millia passuum septingen-  
 ta porrigitur. Exactius paulò illustris Haythonus, Arme-  
 nus ipse, regio prognatus sanguine, dimetitur (b) Longitu-  
 do, inquit, terræ Armenia incipit à Regno Persarum, & exten-  
 ditur per occidentem usq; ad Regnum Turquia; Latitudo incipit  
 à Mirali civitate, quæ dicitur Porta ferri, quam Rex Alexan-  
 der firmavit propter nationes gentium varias, in profundo Asia  
 habitantes, quas nolebat posse habere ingressum in Asiam Majo-  
 rem absq; suo mandato: Et est illa civitas sita in quodam districtu

B

maris

(a) lib. XLII, cap. 2, p. 507. (b) Histor. Oriental, cap. 9. p. 7.



*maris Caspii, & tangit magnum montem Cocas. Latitudo Armenia extenditur usque ad Regnum Media. Nos autem in primo statim ejus intuitu usitatam Geographis & receptam διχοτομίαν, qua solet Pars Armenia Minor à Majori distingui, in memoriam nobis revocamus. Minor, Procopio Leuco Syria, hodie Carmania, Pegian & Bozoch dicta, (a) Euphrate à Turcomannia seu Majore Armenia dividitur: ab occasu Cappadociâ, à meridie Ciliciâ, (quæ Speculo Historiali Vincentii Beluacensis, Nicephoro Gregora, Ænea Sylvio & Chronico Hierosolymitano, Armenia Minor est) (b) terminatur. Supra Taurum & Amanum montem, partem Syriae; Septentrionem verò versus Ponticas gentes habet. Bonâ gubernatione & Justitiæ administratione Regnum olim florebat, cui insuper opes ac commercia non exiguam famam conciliabant. (c) Fluvius ibidem præ reliquis celebratur Melas, Amethysto dives, nunc Genesici dictus, se in Euphratem effundens. Munita ostentabat oppida, Nicopolin, (d) ad quam Pharnaces Mithridatis filius Romanas afflixit cohortes, Leontopolin, Theodosiam, Chrysantem, alia. Solo gaudet foecundo, aere saluberrimè temperato. Auri metalla quæ in Sysperitide effodiuntur, Strabo (e) commendat; Plinius, sagacissimus Naturæ mysta, pruna, (f) Arbores, (g) Sardonychas, (h) alumen, (i) & floridum, calchæ persimilem, colorem, (k) qui uno nomine Armenium pictorum dici, & à Medicis ob extersoriam vim cum modicâ acrimoniâ & paucissimâ adstrictione ad ophthalmica, atrum bilem purgantia, & alia medicamenta adhiberi*

(a) Philipp. Cluver. *Introduct. Geogr. lib. 5. cap. 16.* Postell. *l. d. 12. Linguis. Brerevod. Scrut. Relig. c. 15. pag. 180.* (b) in *Appendice Haythoni. Reiner Reinecc. lib. 4. pag. 326.* (c) *Vid. Marcii Paul. Venet. Itinerar. lib. 1. pag. 62.* (d) *Geograph. Epitom. Vadian. p. 199.* (e) *l. 11. p. 357.* (f) *Histor. Nat. l. 15. c. 13.* (g) *l. 16. c. 25.* (h) *l. 37. c. 6.* (i) *l. 35. 15.* (k) *l. 35. 6. Ætius Tetrabibli prim. Sermon. 11. cap. 46. pag. 78.*



beri solet. (a) Idem solertes Hygææ filii regionis hujus Cardamomum (b) magni æstimant, ut & bolum, sive glebam, quæ Armenicâ linguâ *Zaranga*, Syrà *Zaracho* appellatur, eique nobiles in defluxionibus capitis & peste curandis, effectus attribuunt, (c) quos, ne de μεταβάσει eis ἄλλο γένος commissâ mihi aliquis dicam impingat, silentiô obvelo. Nix in Armenia rubens decidit, cujus coloris rationem Physici communiter ab abundantia minii desumunt, à quô exhalationes aereis partibus, è quibus nix formatur, prævalentes effluunt. (d) Nonnulli etiam vermes rutilos in Armenica nive nasci, tradunt, quod ipsum quoque in nive vetustiore contingere, δαυμόνιον illud hominis, Aristoteles (e) adstruit, scribens disertè, quòd nix vetustate rubescit. Visu hodie digna est in hoc regno *Glacia*, Civitas maritima, quæ ob portus commoditatem quasi Orientis porta censetur, siquidem ob pretiosas merces & opes ibidem ex toto fermè Oriente, quin & à Venetiis ac Genuâ mercatores conveniunt, teste Paulo Veneto l. 10. c. 11.

II. Armenia Major, Provincia maxima, hodierno die in tres partes divisa, Turcomannia, Popul & Curdi appellatur. (f) Intimis duorum Sinuum, Caspii & Euxini, faucibus versus austrum cingitur; ab occasu Euphratem & Tauri Juga, nonnullis (g) *Moschici montes*, aliis *Pariedri*, dicta, conspicit. A Septentrione *Albaniam*, *Iberiam* & *Colchidem*, à meridie *Niphatem* habet; crebris collium & convallium cacuminibus veluti laciniis divisa est, quarum quædam versus *Colchidem* perpetua nive candicant. Inter a-

B 2

mnes

(a) Ætius l. d. cap. 46. Serm. 11. pag. 78. (b) id. cap. 196. Serm. 11. pag. 108. (c) id. Serm. 111. c. 12. p. 73. (d) Lorin. T. 1. in Ps. L. v. 9. pag. 860. C. & T. 3. p. 929. Plin. l. 11. c. 35. Eusthat. Iliad. Apulej. c. 4. Arist. 1. Meteorolog. p. m. 333. G. (e) de Hist. Anim. l. 5. p. 523. D. (f) Cluver. l. d. Paul. Venet. pag. 62. (g) Vid. Hermet. Trismegist. Pimandr. cum Commentar. Rosseli.



mnes, quibus irrigatur, primi sunt *Euphrates*, *Araxes*, & *Tigris*, qui tantæ pernicitatis creditur, ut arenas secum ac saxa rapiat, atque de die tantum progrediatur, quantum quis pedestri itinere septem diebus absolvere potest, unde illi nomen *Tigris*, quod *Persicâ* linguâ *sagittam* notat, accommodatum est. (a) His quidam addunt *Cyrum* ad fines *Armenia*. Paludes numerat tres: *Thespieten*, *Lieniten*, & *Arecisam*, quæ aliquot *Provincia* adjacent. (b) Civitatum Metropolis est *Arzinga*, veteribus *Comana Pontica*, *Straboni Arsenia*, *Paulo Diacono* (c) *Arziana*, *Chalcocond. Erzeganana*, & *Armenia Regia* vocatur, thermis ibidem scaturientibus famosa. Huic proximè accedunt celebritate *Tigranocerta*, hodie *Soldadia* seu *Sultania*, *Godendes*, & *Zoriga*, *Artaxata*, ab *Hannibale* postquam in has terras ab *Antiocho* discessisset, condita. Memoratur insuper *Sophronio* (d) *Albanopolis*, *Bartholomæi Apostoli* tumulo clara. Mite hujus regionis cœlum, insignem soli fertilitatem commendat. Montes, præter limitaneos, eminentiores duo cernuntur, *Antitaurus*, quod *Tauri jugis* hinc inde adsurgentibus obvertatur, nomen sortitus; mediam eam incesu transverso permeans, donec reflexus ad *Boream*, *Sophenem* prænobilem *Armenia* partem attingat. Deinceps *Abus*, *Ptolomæo Periardes* & *Gordys*, *Gordus* & *Gordyæus*, quem tamen *Strabo* non procul à *Caucaso* collocat: Arcam huic *Noachi* post diluviū insedisse, vetus est opinio, quâ de sequenti §. mentem nostrâ aperiemus. Admirationem hîc & attentionem meretur, fons quidam in confini *Zarzaniorum* *Provincia* ortus, liquore oleo simili superabundans; non cibus quidem, sed lampadibus potissimum

(a) *Geograph. Nubiensis Clim. 1. part. 6. & Itinerar. Guilielmi de Rubruquis cap. 49. à Bochart. Phaleg c. 13. l. 3. p. 213. cit.* (b) *Garzonius discursu 37. p. 252.* (c) *Hist. Miscell. lib. 6. p. 192. Paul. Venet. l. d.* (d) *Vadian. Epit. p. 199.*



simum, aliisque inungendis commodo; unde vicinæ nationes lucernarum nutrimenta quarunt: quid? quod integræ naves eô onerentur, diversarum gentium usui deservientes. (a)

III. Fidem nostram ut liberemus, intricata illa controversia Historicorum de montis situ & nomine, cui Arca Noæ incubuit, tangenda venit. Sunt de illa ferme tot sententiæ, quot de origine Nili apud Scriptores. Extra omnem tamen dubitationis aleam positum esse mihi persuadeo, quòd in Armeniæ quodam monte, tanquam parte totius orbis altissimâ, uti præced. cap. §. III. insinuavimus, arca Noæ quieverit. Communissimè Geographorum sedulitas locum notat sub gradu longitudinis 79. latitudinis 41. & paulò amplius. (b) Damascenus lib. 96. apud Josephum (c) Montem *Baris* vocat, scribens: Ἔστι ὑπὲρ τὴν μινυάδα μέγα ὄρος καὶ τὴν Ἀρμενίαν Βάρις λεγόμενον. *Est super Minyadem ingens in Armenia Mons Baris didus.* De qua voce Philologis non postremalis intercedit, an nempe monti indita sit à Græcis, apud quos navigii genus est, aut ab Armeniis, quibus *Dea Baris* colebatur; (d) an vero ab Hebræo aliquo vocabulo deduci debeat, quia in illo monte Deus בְּרִיתִי *berithi*. e. *foedus* contraxit cum humano genere, vel denique, an *Baris*, uti Borcharto curiosè inquirenti, videtur, (e) Armenicum vocabulum sit, *exitum* denotans, quod ex Arabico *بار* vel *بار* *Baruz* vel *Bariz* *exitus*, originem trahat, cum Arabum lingua cum Armenicâ plurimum affinitatis, ut quidam volunt, præ se ferat. Epiphanius (f) contrà *Gordyaos* montes sub nomine *Loubar* eligit, quos Ararath Scriptura Ge-

B 3

ra Ge-

(a) de eo consule Venet. lib. cit. (b) Nicol. Füller. Miscell. lib. 1. c. 4. p. 36. seqq. (c) Ἀρχαιολογίας lib. 1. c. 4. Conf. Euseb. Evang. Preparat. lib. 9. c. 4. Reinecc. Syntag. tom. 1. §. 4. p. m. 260. (d) Strabo l. 11. (e) Phaleg. l. 1. c. 111. p. 23. (f) lib. 1. contra Hæres.



ra Genes. 8. 4. 1. Reg. 19. Esai. 37. appellat. Verba ejus  
 propemodum hujus sunt tenoris: Μετὰ δὲ τὸν κατακλυσμόν  
 ὄπισθίον τῆς λάβρακ. & τῆς Νῶε, ἐν τοῖς ὄρεσι τοῖς Ἀραράτ,  
 αἰὰ μέσον Ἀρμενίων καὶ Καρδύων ἐν τῷ λαβὰρ ὄρει καλεσμένῳ.  
*Post diluuium cum consedisset Arca Noe in montibus Ararat, in-*  
*ter Armenios & Cardios, nempe in monte quodam Loubar vocato.*  
 (a) Hieronymus (b) existimat, fuisse ad radices Tauri  
 montis, qui campis Ararat imminet. Alii, quorum tibias  
 plures inflant, Cardyæos montes Carduchos prope Assy-  
 riam nominant. Berofus adhuc suâ ætate reliquias arcæ  
 conservatas & mirâ superstitione pro amuleto bitumen  
 hinc abrasum usurpatum esse tradidit. (c) Nam cum pro-  
 pter perennes nives cacumen montis adscendere nemo  
 valeat, & quoddam nigrum eminens conspiciatur; plebs su-  
 perstitiosa illud putrescens esse lignum autumavit: Gemi-  
 na his habet Haythonus, (d) qui in eo tamen frustra est,  
 quando suo tempore nempe circa Annum Christi 1300. re-  
 liquias arcæ visas esse, aliis persuadere voluit, cum ex Ite-  
 nerario R. Benjaminis, (e) qui Anno 1154 floruit; (f) cui  
 etiam in hoc passu temerariè fidem denegandam haut esse  
 viri docti putant, sufficienter constat, Omarem Alcitabi fi-  
 lium, caliphatum i. e. summum Dominium, adeptum A. C.  
 643. de monte in Insulam suam, à medio Tigride 4. distan-  
 tem millibus, illas transtulisse, & pro tabulato templi Mo-  
 hammedani à se exstructi adhibuisse. Allatam Epipha-  
 nii sententiam quibus potest cunq; modis enervare cona-  
 tur

(a) Cedren. Historiar. Compend. Edit. Xilandri fol. 8. 85. Johann.  
 Nauclerus Memorabilium omnis ætatis omnium gentium fol. 1. (b) Comm.  
 in Esaiam l. 2. c. 37. cit. Fullero. (c) Vid. Joseph. Antiq. Judaic. c. 4. Barthold.  
 Nibussius in Tr. Chorogr. p. 85. Barthol. Anglus l. 44. c. 3. Matth. Dresser. Millen.  
 11. p. 72. (d) lib. d. de Tataris Cap. 9. Wilhelm. Schickard. in Tarich. pag. 28.  
 (e) pag. 61. ex edit. Constantini l' Empereur. add. Elmacini Histor. Saracenic.  
 l. 1. c. 1. (f) Genebrard. Chronograph. l. 4. p. 620.



tur Nicol. Fullerus (a) pro *Loubar Doubar* substituens, cu-  
jus verò singula momenta famigeratissimus Hottingerus  
*ἀξεῖβῶς* diluit. (b) Hodie Mons ille Armenis *Messina* audit,  
Persis *Agri*, Arabibus *Sütheilhan*, ut *ἀυτὸ πᾶσι* Nob. Olearius  
(c) attestatur. Non procul abhinc Noa siccato Orbe e-  
gressus arcâ Deo sacrificavit, urbemque Sigalbinam, cu-  
jus Ptolomæus meminit, juxta Araxin amnem ædifica-  
vit. (d)

IV. Jam quæ ad pristinam Armeniæ administratio-  
nem spectant excussim intuenda. Regnum ibidem cum i-  
psâ gente cœpisse, antiquissimus è Chaldæis Historicus,  
Beli Sacerdos *Berosus*, memorat, cum fors coloniæ du-  
ctori primùm traditum est. Quod Sapiens olim Abderi-  
ta pronuntiavit: *Veritatem latere in profundò, unde non nisi*  
*agrè possit extrahi*, nostrum non abs re hic faciemus. Tam e-  
nim densis & pene cimmeriis tenebris Historia Armeni-  
ca squalet, ut quamvis omnibus juxta adagium, vestigiis  
inquiras, vix nôris, cui Scriptorum pollicem premere  
debeas, aut ubi tutò pes figendus sit. At verò statim in  
initio ceu generale quoddam axioma tenendum; Arme-  
niam Regibus Assyriorum, Persarum, Parthorum, Ma-  
cedonumque gubernatam esse, donec Antiocho succe-  
dente eligendi Reges negocium ad Romanos deferretur.  
Hoc ad oculum quo demonstramus, *καὶ ἀπέπον καὶ κατῆκον*  
rem persequemur, deductis quasi rivulis fontes indigitatu-  
ri. Gratâ interim hîc mente laudabilem *Reineccii* agnosci-  
mus operam, qui ut plurima veterum literarû in numerato  
quasi habuit, ita non infeliciter huic Historiæ explicandæ  
ocium locavit, ac proin ὁ πᾶνυ nobis in hoc campo atten-  
den-

(a) *Miscellan. l. 1. cap. 4. pag. 36. 42. Conf. pag. 145.* (b) *Fascic. Dis-*  
*sertat. Theol. Philologic. 3. pag. 181. 182.* (c) *lib. 4. Itin. Persici cap. 14. fol.*  
*398.* (d) *vid. Joann. Aventin. Annal. Rojor. lib. 1. pag. 6.*



deendus erit. Sed & nobismet ipsis καὶ τοῖς μετόπισθεν  
aliquid investigare licere intelligimus. Primum itaque  
Regem Armeniorum dictus Berosus *Scytham* vocat, alte-  
rum *Barzanem*, eumque à Nino devictum narrat. Ast no-  
minis *Scytha* usurpatio cum posterior longè sit, ceu ex  
Antiquitate constat, de Barzane autem gravissimus au-  
ctor Diodorus (a) testetur, quòd sponte cum Ninò recon-  
ciliatus retinuerit regnum, non peccatum iri confido, si  
quis in *Barzane* tanquam primiceriò, Armenici Regni ini-  
tium ponat.

*Melius qui conjexit, vatem perhibebo optimum.*

Subit mirari miras & innumeras fere vicissitudines, quæ  
quanquam propria Regnorū sint παῖσι, attamen si unquam  
in aliquo, profectò in hoc adparent, ceu speculo, cujus  
medietati fatum impressit verissimum illud Lemma: *Ni-  
hil sub lunari circulo firmum, stabile aut perpetuum est.* Apud  
Plinium (b) me legere memini, Armeniam in aliquot  
Regna divisam fuisse, in quibus *Adrazarus Sophenus* Davi-  
dem bello adortus est, enarrante Reineccio. (c) Neque  
*Sardanapali* interitu rediisse iis libertatem, idem ex Sen-  
nacheribi filiorum Historiâ deducit. *Sarassar* enim &  
*Adramelechus* (ita nominabantur) postquam Parentem è  
medio sustulerant, eo quòd eos in æde Nisrochi Deastri  
immolare Deo constituerat, ejecti à populo ad Armenios,  
beneficiis sibi haut dubiè obligatos, tanquam ad asylum  
deflectebant. Hos ubi à suis stare partibus intelligerent,  
in societatem belli adversus fratrem *Assarhaddonem* per-  
traxerunt. En fomitem præparatum, quem paulò post  
Medorum Reges in maximam flammam erumpere fece-  
runt. Siquidem *Astyages* Armenos sibi vectigales reddi-  
dit, teste Xenophonte, manente tamen Regum indige-  
narum

(a) Diodor. Sicul. l. ii. c. 1. (b) l. c. H. N. c. 9. (c) Syntagm. Tom. 1. p. 262.



narum factâ tectâ potestate. Brevi interjecto tempore post Persis Armenia cesit, & Satrapas habuit: sub *Artaxerxe Teribazum*, cui Justinus (a) subjungit *Codomannum*, post fata *Ochi* ob industria virtutis specimina è præfecturâ Regem constitutum, ac *Darii* nomine, ne quid Regiæ Majestati decederet, insignitum. Et Strabo exactius singula enarraturus tributum determinat: (b) quale Persarum Regi Armeniæ Satrapa exolverit quotannis, nempe *pullos equorum XX millia*. Herodotus contrâ sentiens scribit ab Armeniâ cum vicinis aliquot regionibus *Darium Hystaspis F. pro stipendio postulasse CC. talenta*. Perempto *Codomanno Alexander M.* regnô hâc potitus Satrapam *Mythrenem*, apud *Sardes* antea Prætorem, elegit; cui *Perdiccas Phrataphernem* substituit, & *Orontem* ex *Hydarnis* familiâ, in quò Satraparum dominium sublatum, & ad Reges iterum pervenisse Armeniam, *Diodorus* autumat. Verùm oblivioni videtur transmisisse, quod eam *Antigonus μονόφθαλμος*, & post eum *Seleucus* tenuerit: in quorum etiam fide, præfecti, quales denominare Regibus placebat, aliquamdiu perstiterunt.

V. Posthæc ubi *Assyrii* Regni habenas successionis jure susciperent, *Seleuci* filius, *Antiochus*, ab eo qui post *Alexandrum* in *Asia* circa *Euphratem* regnavit, sibi quæ præclare gestis cognomen *Magni* acquisivit; (c) *Zariardes* Imperator ejus primarius, cum collega suo *Artaxia*, Armeniæ præfecturâ exornatus est. (d) Hi verò teneram ætatem Regis intuentes, (natus quippe erat annos 15.) ac varias, quibus laborabat Regnum difficultates, dum conceditam Provinciam magnatum quilibet suo opte ingenio ac stomacho administraret, eandem sibi licentiam promitte-

C

tere,

(a) lib. X. cap. 3. (b) lib. XI. p. m. 357. (c) vid. Appian. de Bell. Syr. p. m. 86. (d) Strabo lib. XI. pag. 357.



tere, à Rege deficere, quin armatâ manu Armenicum so-  
lum concutere ausi sunt. Nec infesta Nemesis tantâ comi-  
tabatur audaciam; quandoquidem secundô Marte contra  
insultus Antiochi pugnantes, armorum violentiâ extor-  
cum regnum, partibusque aliquot adauctum suæ posteri-  
tati transmiserunt. Quò autem melius inter se conveni-  
ret, *Nec enim Regna socium ferre, nec tæda possunt*; divisa est Ar-  
menia in duas partes, majorem nempe, ac minorem: quæ  
sane divisio post veterem illam hujus terræ secunda vi-  
deri potest. *Zariardes* itaque minorem, quæ Ciliciæ  
vicina est, juxta Austrum, *Artaxias* autem majorem, ex  
mente Strabonis (a) accepit. Aliàs apud Appianum, quan-  
do de bello civili agit, & Pompejanam aciem contra Cæ-  
sareanam instruit, inter Pompejanos Rex *Artapas* deno-  
minatur, qui in Armeniis cis Euphratenis regnavit. (b)  
Ex quo haut difficulter colligitur, Appianum plura Ar-  
menia regna constituere. Simili quoque ratione Haytho,  
(c) in Armenia Terra quatuor esse regna dicit, quorum  
tamen unus Rex dominium semper occupaverit. Ast hæc  
cum æquè obscura sint, ac Sibyllarum folia, & idcirco  
vix à Scriptoribus tangantur, aliis enodanda relinquo.  
Ad *Zariardem* igitur revertamur. Tenuit ille regiam Ma-  
jestatem, Romanorum auxiliò stipatus. De familia ejus  
pauca admodùm inveniuntur apud Historicos, undè in u-  
nico ejus filio, quem memorant, *Artane Sopheno*, à *Tigrane*  
cæso, deletam esse opinor.

VI. Non possum quin hîc nonnulla, quæ jam dictis ali-  
quam lucem affundere queunt, de *Tigrane* per *Ἄρταβας*  
attexam. Fuit ille *Artabasdæ* Pater. Parthis quondam obses  
datus, sed post, cum pretii loco 70. regionis Armenia  
convalles tradidisset, natalibus, ut loquuntur Ἰσκι, & pa-  
terno

(a) lib. XI. p. 531. (b) lib. 2. p. 472. (c) cap. 9. p. 7.



terno regno restitutus, (a) *Mithridatis Pontici Regis*, hujus nominis VII. qui cognomento *Eupator* seu *Dionysius* audit, filiam *Cleopatram* in matrimonium duxit: (b) & violento primū ausu *Parthos* persequens, clades cruentas iteravit. Dein *Armeniam* infestabat minorem, ac *Artane* superato, totius regionis Imperium adeptus est. Urbem *Tigranocertam* condebat, circa A. M. 3931. ut *Simsonius* calculat, vel juxta computum *Jacobi Ufferii* A. M. 3927. Evocabatur post à *Syris* ad Regnum, quod validissimo etiam contra rebellantes exercitu tenuit. Vectigalem sibi reddiderat felicitatem, & jam non fortunati, sed fortunæ nomen, ut *Belgicus Seneca*, *Lipsius*, (c) de *Polycrate* habet, consecutus videbatur. Exinde *Superbiæ aurâ* inflatus, singula infra se posita existimare, fortique ipsi nunciare repudium. Sed miserabilis eventus edocuit, nihil tam contrarium & rationi & constantiæ esse, quàm fortunam. (d) Agitabat eâ tempestate bellum *Mithridates* cum laudabili Romanorum Duce *Lucullo*, Regnum suum in libertatem asserturus: Et post crebras cum hoste velitationes, destinabat ordines qui frumentatoribus *Luculli* insidiarentur. Romanū v. agmen in angustias eos cogens, per rupes partim præcipitavit, alios turmatim fugam meditari impulit. Hujus cladis fama cum ad *Mithridatem* perveniret, fugâ sibi consulere ratum duxit. Confugit itaque ad generum suum, *Tigranem*, eumque adversus Romanos velut turbo Septentrionem Orientemque, quò se vindicaret, involvit. Infelix fumum evitabat, & igni se injiciebat. Hoc enim cognito *Lucullus* contra *Tigranem* arma sumsit, eumque ad

C 2

Regiam

(a) *Strabo* lib. XI. *Justin.* lib. 32. cap. 3. pag. 467. *Appian.* in *Syr.* pag. 118. *Add. Edoardi Simsonii Chronicon Catholicum* ad A. M. 3916. part. 7. pag. 41. (b) *Justin.* l. d. (c) *Monit. Polit.* c. 5. mon. 2. *Exempl.* 2. (d) *Cic.* 2. de *Divinat.*



Regiam *Tigranocertam* horrendâ strage superavit. (a) Sed neque tum fractus ei plane animus, siquidem uterque editionibus suis novas conscribebat instaurandæ pugnæ legiones, quæ etiam triumphali Lauro castra duûm Regum coronarunt. Adventabant intereà legati, *Lucillum* ad urbem revocantes: *Mithridatis* interim persequendi provinciâ *Pompejo*, omnium seculorum & gentium Principi (b) unanimi senatus consensu mandatâ. Is confestim in finibus ejus castrametari cœpit, regemque prostravit. Ex tunc in *Armeniam* pergens *Tigranis* regiam *Artaxata* petiit. (c) Ille verò jam pater trium liberorum ex *Cleopatra*, pugnare recusavit; extimescens fortè, ne adverso Marte nomen suum ad infamiam ubique divulgaret. Ad *Pompejum* igitur ultrò profectus magnâ & tantum non servili submissione se ei dedidit, splendidisque muneribus tum Imperatori, tum militibus oblatis, gratiam mercatus est. Inter alias conditiones, quibus pactus fuerat cum Romanis, & hoc concessit demens: ut rectores debinc à Romanis acciperet *Armenia*, ceu *Florus* loquitur. (d) En gravissimum lapsum superbissimi mortalium, qui antè Regem Regum se volebat salutari. (e)

VII. Saltum facimus iterum in *Armeniam Mino-*rem, & post *Artanem*, §. 5. citatum, *Deiotarum* *Galatiæ* regem, seu potius *Tetrarcham*, à *Pompejo* *Armenia* minoris regno donatum, advertimus: eò quòd cohortibus contra *Mithridatem* sese junxerat, & unus in toto terrarum orbe ex animo amicus, vereque benevolus & fidelis P. R. judicabatur. (f) Non equidem hujus successionem exactè me-

(a) A. M. 3936. ante Chr. 67. *Simson. l. d.* (b) *Cic. Epistol. III. ad Fam. T. 3. p. 48* (c) *Appian. p. 242. de Bell. M. trid. Conf. Niceph. Callisti Hist. Ecc. l. 1. pag. 39.* (d) *lib. 3. A. M. 3939. ante Chr. 64. Simson. Appian. de bell. Mithridat. pag. 230. 238. 243.* (e) *id. Appian. pag. 253.* (f) *vide Usserium atate. 6. pag. 254 Eutrop. lib. 6. Appian. lib. 2. de bell. Civil. pag. 472. Cic. Orat. de Harusp. Resp. T. 2. p. 609. F. Or. pro Dejot. p. 816. T. 2. D. & p. 81. F.*



morant auctores; nihilo tamen minùs posse argui, putat  
 Reineccius, (a) quoniam *Pompejo* equites auxiliares DC.  
 in Civili bello adduxit, & *Cæsari* in *Pharfalicâ* pugná gra-  
 vis fuit. (b) Huic negotio dum maximè intentus adhæret,  
 Regnum à *Pharnace* infestum perdit. Tandem cum il-  
 latus à *Pharnace* injurias bello expiasset, apud *Cæsarem* se  
 demisit, intercessionibusque *Bruti* in gratiam quidem re-  
 diit, regno tamen tetrarchiæ exutus. Gratâ interim *Br-  
 ti* opem recolebat memoriâ, quam ut publicè testatum  
 iret, post *Cæsaris* obitum ad eum, per *Amyntam* scribam,  
 copias ordinat: quibus ad *Antonium* traductis, *Amyntas* si-  
 bi ad *Galatiæ* regnum viam sternit, & *Deiotaro* vitam cum  
 regno servat incolumem. Filiorum ejus, quos ex *Strat-  
 onicâ*, quam ei conjugem *Plutarchus* (c) tribuit, (vel po-  
 tiùs ex ancillâ *Electrâ*, ob notam conjugis sterilitatem sup-  
 posita) suscepit, unum cognominem Patri, *Historiæ* no-  
 minant, qui vivo adhuc Parente, à *Senatu Romano*, *Regis*  
*axiomate* honoratus est. (d) Cùm verò is hæredes post se  
 nullos ex *Artuasdus Armen. Maj.* filiâ reliquisset, ad diver-  
 sos ex aliis gentibus Regni gubernacula devenerunt. Ob-  
 tinuit ea *Artuasdes Medus*, (e) *Polemon*, Oratoris *Laodi-  
 censis Zenonis* filius: (f) *Archelaus Cappadox*, (qui *Glaphy-  
 ram, Alexandro Herod. M.* filio, in uxorem dedit,) (g) & *Coty*,  
 (h) *Pharnacis III.* filius,) Cui *Nero* tùm temporis imperator,  
*Aristobulum M. Herodis* Pronepotem, (i) ex singulari gra-  
 tia subjunxit. Eandem benevolentiam *Aristobuli* propin-

C 3 quus

(a) *Lib. cit. pag. 266.* (b) *A. M. 3902. Besold. Synops. Histor. Univ. pag. 271. Edit. Rupertii.* (c) *v. Reinecc. p. 268.* (d) *v. Vellej. Paterc. l. 2. c. 84. add. Uffer. annal. in Nov. Test. Hist. ad A. M. 3957. seqq. Dio l. 41.* (e) *Reinecc. Syntag. p. 220. Tab. 28.* (f) *id. ibid. p. 217.* (g) *id. p. 310.* (h) *id. p. 217. Bizar. rer. Persicar. lib. 3. p. 118. Uffer. A. M. 4050.* (i) *Herod. Chalcidensis Agrippæ M. fratris filius. Reinecc. p. 314.*



quus *Tigranes*, (a) *Archelai* Cappadocum regis nepos, expertus, qui diu apud urbem obses fuerat, ad servilem usque patientiam detentus: tandem tamen ut regnum caperet, in Armeniam missus, non omnium favore exceptus est. Quidam *Artaxidas* volebant Reges, plerisque autem factus Parthorum exosus erat. Quare hunc à Romanis datum malebant, cui etiam ut regnum tueretur, præsidium militum addebatur, mille legionarii, tres sociorum cohortes, duæque equitum alæ. Filius ejus *Alexander* hæreditariâ successione orbatus, Ciliciæ dominium tenuit. (b) Post enarratos Reges nulli amplius designantur, unde citra pulveris jactum colligere licet, ex eo tempore Armeniam pro Provincia saltim, quam *Augustus* jam disposuerat, (c) à Romanis habitam fuisse.

IIX. Cæterum *Artaxiam* primum antea regem Majoris Armeniæ salutavimus, quam ditionem etiam contra *Antiochi* Magni incursiones, sublevatus à Romanis conservavit. Veruntamen ab *Antiocho* Epiphane, jam dicti filio, captus est. (d) Stirps ejus ignoratur, & serie continuâ caret, quia, vel segnis in veterum encomiis posteritas non meminit, vel, quia obscuritas gentis, & rerum gestarum tenuitas eam suppressit. Unde deficientibus domesticis successoribus, nuda aliorum nomina ad nos transierunt. *Zeno* postea Historicis celebratur *Polemonis* filius, qui à Germanico Cæsare inauguratus, purpuram & diadema ad *Artaxata*; cum nomine *Artaxia* suscepit. (e) Sed Tiberiani Imperii anno XXII. fatalem vitæ terminum implevit. Toti autem *Artaxiæ* familiæ maximum splendorem fœneratus est, (ut olim *Scaurus* virtute intermortuam propè generis

(a) *Reinecc. pag. 310. Tacit. lib. 14. Ann. cap. 25. Joseph lib. 18. cap. 7. cit. Jac. Ufferius ad. Ann. M. 4063. Bizar. lib. 3. pag. 123.* (b) *Reinecc pag. 264.* (c) *Aventin. Annal. Bojor. pag. 33.* (d) *Appian. de Bell. Syr. pag. 151. Reinecc. pag. 181. Syntagm.* (e) *Tacit. Reinecc. pag. 218.*



*ris memoriam renovans, (a) Tigranes I. quem supra diximus,*  
 §. VI. cognomento Magnus. Filios reliquit plures, quos  
 heic enarrare nihil attinet. Unum si addidero, *ὡς βεβηχό-*  
*τατα, ὅτι ἐκ τῶς χορῆς ὀρχεῖται,* juxta Platonis proverbium,  
 videbor; quod nimirum plurima in regia comitivâ peri-  
 cula numeraverit, & nunquam sine metu vivere potuerit.  
 Siquidem jam à *Tigrane*, filio ex *Cleopatra*, jam à *Sariastre* ex  
*Zosime* suscepto, discrimen cervici intentatum est. Quid?  
 quod posterior in caput patris conjurarit cum amicis, tam  
 crudeliter, ut omnes dextris manibus sanguinem mitte-  
 rent, atque eum invicem sorberent, Valerio Maximo pro-  
 dente. (b) (Quod potionis genus *Affiratum* dicebatur pri-  
 scis Latinis, quia *Affir* sanguis est, ut Festus differit.) (c)  
 Adeò nullibi tanta excrescunt odia, quàm quæ in amoris  
 agro feminantur! Reliquos hujus stemmatis neglectim,  
 imò duriter, ut quartæ, quod ajunt, Lunæ filios, novercans  
 fortuna habuit. *Artuades*, (quod nomen sane mirè tor-  
 quent auctores, aliis enim est *Artabazus*, vel *Artabanes*,  
 aliis, *Artuadistes*, *Artabastes*, seu *Artuades*, sonat; ceu at-  
 tendenti, obvium erit) ab *Antonio*, cui promissum auxilium  
 non transmiserat, dolo vincetus, aureis catenis in trium-  
 phum Alexandriam deductus, (d) & sub *Actiaci* belli tem-  
 pus enectus est. (e) *Artaxias II.* hujus *Artuadis* filius, à  
 suis, ut placet Tacito, (f) jugulatus: frater hujus, *Tigranes*,  
 à *Tiberio* confossus. Ultimus denique *Artaxias II.* filius,

*Artuas-*

(a) Cic. pro *Muræna*, pag. 476. E. (b) lib. 9. (c) apud *Crusium* de No-  
 stur. Offic. cap. 5. pag. 116. 117. (d) *Strabo* lib. ult. *Joseph. Antiq. Judaic.*  
 lib. 15. cap. 5. *Edoard. Simson. in Chronic. Cathol. ad ann. M. 3969. ante*  
*Chr. 34. collocat. Usserius autem ad Ann. 3970.* (e) *Simson. ad Ann. M. 3974.*  
*ante Chr. 29. U. C. 723. vid. de eo Dio lib. 59. pag. 415. Liv. lib. 131. Strabo XI.*  
*pag. 324. Paterc. lib. 2. cap. 82. Plutarch. in Anton. cap. 66. Oros. lib. 6. cap.*  
*19. Justin. lib. 42. cap. 2. pag. 506.* (f) *Add. Annal. Simson. ad A. M. 3989.*  
*ante Chr. 18. Dio. lib. 54. Sueton. in vita Tib. cap. 9.*



*Artu asdes II.* Augusti jussu à Tiberio Armeniæ Rex declaratus, paulòque post honore omni orbus, posteritatem interclusit, quin omninò finivit.

IX. Multivariis deinceps, quæ est rerum humanarum, fluctuantem Euripum imitans conditio, jactata Armenia externarum gentium dominio relicta fuit. Favo-  
re Caji Cæs. Augusti fil. tantum dignitatis fastigium occupavit *Ariobarzanes Medus*, (a) quem excepit *Erato* mulier, (b) & *Zeno* (c) tum continuâ serie *Arfaces*, (d) (vel, ut alii scribunt, *Arthoces* s. *Arthocus*, ex Iberor. familiâ, Artabani Parth. Reg. F.) *Mithradates*, (e) (ex Arfacidar. gente, Phraatis F.) *Pharasmanes Mithradat.* vel *Mithridatis II.* F. (f) *Rhadamistus Pharasmanis F. Tiridates*, Parthici Reg. *Vononis* F. (g) Pleriq; habuere suos corycæos, quibus fulgor ex aurato Solio effluens, & livor oculos fascinavit: eò quòd illo, quod concupierunt, alius potiretur, ipsi carerent, (h) atque vel cum *Cæsare* dignitatem comparare, vel cum *Crasso* augere, vel cum *Pompejo* retinere cuperent. (i) Indè sparsæ lites, exortæ rixæ & similitates, cruenta bellorum præludia; quæ regiones inflammaverunt, imò tota regna! Nunquam tamen, hoc præsertim intervallò, licentiùs aut majori impetu inimicitia ebulliit: quàm cum *Vologesus II* Rex Parthorum seu Persar. (nam hæc duo Regna olim confusa, tunc eadem extitere.) (k) sceptra moderari *Rhadamistum* videret, fratri suo *Tiridati* competere de jure regnū putans, quod majores ejus quondam possedissent, huic, flagitio collatum. (l) Quamobrem exulceratum animum prodendi studio militem ducit in Armeniam, & urbibus aliquot ultrò acceptis retrocedit, fame qua-

(a) Usser. ad A. M. 4006. Tacit. l. 2. Justin. l. 38. c. 11. p. 466. Reinecc. p. 221. (b) Id. Reinecc. (c) Strabo l. XI (d) Tacitus (e) Justin. l. 42. c. 2, 3 l. 41. c. 6. (f) Reinecc. loc. cit. (g) id. p. 246. (h) Cic. 4 Tuscul. Tom. 4 p. 231. (i) Florus. lib. 4. cap. 2. (k) Bizar. pag. 117. (l) Tacit. lib. 13. Ann. c. 6 & 7. lib. 15. cap. 1. Usser. ad A. M. 4057. Bizar. lib. 3. pag. 120. seqq.



me quasi feciale injungente. Romæ interea increbuerat fama, Parthos turbare Armeniam: electus idcirco Senatus consulto *Domitius Corbulo*, vir militari prudentiâ illustris, qui se Persarum vi obverteret, & Armenios defenderet. Sed, nec tanti Ducis adventu perterritus *Vologesus*, de facto fratrem, quem extorrem regni esse indignum rebatur, Armeniæ præfecit. (a) Qui autem extorta ferro regna pacificâ conservari queunt oleâ? Hinc mox secedere *Tiridatem* *Corbulo* coegit, exercitu contra *Vologesum* educto. Res, ut in Proverbio est, ad novaculam admotæ erant, pugnatumque aliquoties: at cum prorsus nihil obtineri posse, *Vologesus* perspiceret, Legatis paciscendi negotium commisit. Controversiis sic consopitis, *Tiridates* *Corbulonem* accessit, ejusque suasu ac auctoritate ad *Neronem* Romam ivit; à quo post orationem supplicem & divinum ei cultum exhibitum, Rex Armeniæ substitutus est: *Rhadamisto* patris jussu in Iberis occiso. (b) Ita mori decebat eum, qui parricidalis patris ac socii *Mithridatis* tabo terram inebriaverat. Nam

*Ad generum Cereris sine cede & sanguine pauci,*

*Descendunt Reges & sicca morte Tyranni,*

De iis quæ sub Nerone gesta sunt, vid. prolixè *Joseph. Antiq. Jud. l. 18* Imperante *Caligulâ Artabano* Medorum Regi, Armeniam prementi, *L. Vittelius* ad Euphratem occurrit, eumque pacisci ad P. R. mentem coegit, obsidibus acceptis, *Dario & Artabano* filiis ejus. Succedente *Claudio* eadem pacta disrumpentes, denuo infestare Armeniam nihil dubitarunt. Gubernantibus aliis Imperatoribus, alios etiam præter adductos, quod transeunter notamus, Armeniâ majori potitos esse, non equidem ignoramus: ve-

D

rùm

(a) *Usser. p. 657. ad A. M. 4055. Tacit. l. 12. c. 44. 49 50 Jac Gordon. Lesmoreus Op. Chronol. ad A. C. 62. seqq.* (b) *Reinecc. p. 265. Tacit. lib. 12. cap. 50. 51.*



rùm enim verò cum brevi admodum dignitate defuncti fuerint, præterque nomina eorum vix quidquam reperias in antiquitate, adeò, ut nec ævum, in quod incidere, exprimat, his silentio transmissis, quomodo Romanis paruerit, ulterius persequar.

X. Reges, uti dictum est, Roma concedebat Armeniis eò usque, donec Trajanus purpuram capefferet, rebusque suis magis consulturus, ac incendiis bellicis, sub cinere simultatum doloso delitescentibus, pabulum subtracturus, *Parthamasire* Rege Armen. expulso, in Provincia formam eam mutaret, (a) quæ à Romana jurisdictione persæpè deficere, perinde putavit. Post obitum Trajani Principatum auspicabatur Ælius Hadrianus, & Regem Armeniis suo arbitrato habere permittebat, cum sub Trajano Legatum duntaxat habuissent. (b) *Parthanaspates* Parthor Rex, hostilem rabiem *Massagetarum* & *Pharasmanis* expertus, illis imperabat. Sub M. Antonio, Philosopho cognominato, *Lucius Verus* gener ejusdem, & *Avidius Cassius* in ea Orientis loca concedere jussi, contra *Vologesum* II. prioris filium, rem auspiciatò in Armenia gesserunt. (c) *Ἀξιομνημόνευτον* est, quod *Niceph. Callistus* (d) tradit Majorem Armeniam à *Philippo Arabe*, qui *Gordiano* successit, *Sapori* Persarum Regi proditam, indeque *Persarmeniam* dictam fuisse. Hoc ad Orcum relegato, *Narsetes* Persa eam concussit, devictus brevi post à *Maximiano*. Ex quibus omnibus odium inter Armenios & Persas planè ἀπορονδον tum fuisse, Sole meridiano clarius apparet. Hi namque semper perniciosum Orienti clasticum cecinerunt, quò totus fermè orbis contremuit!

Quid

(a) *Joseph. Just. Scaliger. in Thesaur. tempor. super Euseb. Chronic. lib. poster. ad An. Dn. 93. p. m. 165. add. animadvers. in loc. cit. p. 190. & Sext. Ruf.* (b) *Bizar. lib. 3. pag. 131.* (c) *Id. pag. 132.* (d) *lib. 17. cap. 37.*



Quid interea temporis per prolixum annorum tractum  
 Armenia, hostilium telorum scopus & meta, toleraverit,  
 non satis liquet. Si verò conjecturæ locus conceditur, pu-  
 taverim ego, à Romanis subinde illi prospectum fuisse, ne  
 sub Persarum Tyrannide penitus succumberet. Paulatim  
 hâc remittente, Hunni juxta Sozomenum, ut Baron. ad  
 ad An. Christi 395. notat, eam urserunt. (a) Aliam alius  
 Persarum Rex *Cabades*, irruptionem fecisse ibidem legi-  
 tur. Denuò Hunni, qui vocantur *Saberi*, è portis Caspiis  
 eam lacerarunt sub imper. *Anastasi*, A. C. 519. (b) Elapsis  
 pene sex lustris cohibendæ illorum insolentiæ *Belisarius*  
 & *Hermogenes* ab Imperatore *Justiniano* emissi A. C. 527. in  
 Armenia pugnarunt. Idem ipse *Belisarius* cum *Cosrhoë*,  
 qui durissimè Armeniam afflixit, congressus est A. C. 541.  
 qui tñ. nec dum insanire desinebat. Didicerat hætenus Ar-  
 menia suo cum detrimento, libertatem, *inestimabile illud*  
*bonum*, (c) quod ignorabat antea, æstimare, ideò Legatos  
 ad *Justinum* ordinat, ut Romanæ ditioni, pro inveterata  
 consuetudine adjiceretur. Imperator Legatos admit-  
 tere, & libidinem *Cosrhois* refrænari. (d) Ille autem e-  
 menso triennio quadriennale bellum Persicum intimatu-  
 rus, adversus Romanos arma assumebat; at, devictus à Ti-  
 berio II. & mœrore confectus, ultimam necessitatis le-  
 gem explevit. Parentem filius *Hormisda* Imperante Mauri-  
 tio ulciscens, Romanis contra Patris sui mandatum, bel-  
 lum inferebat, & stipendiariis sibi factis Turcis, in *Lacizam*  
 & *Colchidem* missis. (e) *Phoca* autem regnante, *Hormisda*,  
 fustibus occisi filius, *Cosrhoes* II. Armeniæ fines excursio-  
 nibus fatigavit, indignissimâ *Mauritii* cæde, quam *Phocas*

D 2

per-

(a) Num. 13. (b) Vid. Cedren. pag. 296. (c) *Cæsar*. lib. 2.  
*Bell. Gallic.* (d) *Baron. ad Ann. Chr.* 572. & 579. (e) *Vid. Cluver. Epito-*  
*me Histor. pag. 379. & 381.*



perpetraverat, exacerbatus. Neque sub *Heraclio* hujus rabies remisit; donec filius *Syroës* cum catenis inclusum sagitta confodi curavit. (a) Adeò summa mala *Rhamnufis*, ne inulta abeant, punire consuevit! Tentare pariter circa hæc tempora occipiebant *Saraceni*, magno molimine *Armenios*, ut inducias ingruente periculo deliberarent: Has cum turbasset *Præfectus* eorum *Fasignates*, A. C. 652. Avidus *Arabum* prætor, *Mauriano* *Romanorum* Duce fugato, immanissimè eos, *Constantini* *Pogonati* tempore A. C. 654. vexavit. Porro *Constantini* *Filius* *Justinianus* *Junior* quem *Justinum* *III.* alii vocant, (b) pacta, quæ pater icerat cum *Muavia*, ut nimirum ejus tributarius esset: cum *Abdimeticho* *Arabum* Rege, renovat. (c) A. C. 687. Sed tamdiu servari solent à *Regibus* fœdera, quamdiu id rebus ipsorum utile, ut quondam *Gallicus* *Legatus* apud *Thuanum* eloquebatur. Quare brevi post violavit ea *Imperator*, & *Leontium* *Orientalium* *Ducem* cum milite *Armenia* im-misit. (d) *Imp.* Anno 7. Tum *Arabes* *inviti* *Duce* *Muamate* cum *Romanis* bellò decernentes primo prælio victi; illectis verò *XXX* millibus *Sclavinorum* copiis, quæ à *Justiniano* ad *Muamatem* transfugerant, eos fuderunt. Subsequente Anno (*Imperii* 8.) C. 693. *Sabbis*, vel *Sabatius* (ut *Cedrenus* & *Bizarus* nominant) *Patricius*, *Armenia* *Prætor*, *Saracenos* intromisit. (e) X. ejusd. *Imperii* Anno, *Muamates* postliminio cum exercitu in *Armeniam* profectus est, & multis hinc abductis secessit. Hoc super *Leontius* *Justiniano* ejecto, (f) *nafo* *truncato* & *Chersonam* *relegato*, per  
feditio-

(a) *Cluver. pag. 384. conf. Centur. 7. Magdeb. c. 3. p. 61. & c. 16. p. 654. Paul. Diac. lib. 17. rer. Roman. Zonar. Tom 3. Niceph. lib. 18. cap. 43. (b) Bizar. lib. 6. p. 211. (c) Centur. Magdeb. VII. c. 16. vid. Diac. Beda de ratione tempor. Adon. Viennens. (d) Cedren. Histor. pag. 360. Bizar. pag. 212. (e) Cedren. pag. 363. Bizar. lib. 6. pag. d. Wagner. Instit. Histor. cap. 7. pag. 452. 453. (f) Pompon. Letus de Origine Muamatis.*



seditionem, omnem ad se traxit potestatem, A. C. 694. (a) Sed Imperio per triennium tantum præfuit, & ultimo anno Arabes Africam capere vidit, quanquam præfente Romanorum acie. *Leontio* pariter remoto, successit militum votis electus Imperator, *Absimarus*, aliàs *Tiberius* nominatus. Anno 701. qui ejus (b) in Imperio quartus erat, *Baanes* Armeniæ prætor, cognomine *Heptadæmon*, à VII. geniis, quartam, seu majorem, Armeniam Arabibus tradidit. Experta antè illa malum, & ne jam recidivam pateretur, sedulò cavebat.

— — — *Immedicabile vulnus*

*Ense recidendum, ne pars sincera trahatur,*

Siquidem, qui semel nocuit, adhuc nociturus creditur. Quare incolæ hostium gloriosi hostes durum servitutis jugum indignati, Saracenos præfectos comprehensos occidunt: (c) & ab Absimato auxilium implorantes Romanorum sese addixerunt Imperio, A. 703. Absimarus prora & puppis quasi eorum salutis erat. Sed *Abdimelichus* A. 706. novam manum instruxit, quæ Duce *Muamate* eam regionem recepit, & principes vivos uno in loco omnes cremavit. (d) Neglectus ignis paulatim augescens, cum fomes suppetit, absumit omnia, desidiaque nostrâ pernitiosa tabes crescit, cui fomenta medicæ manus adhibere vix satis queunt. Idem observare licet in Armenia, ubi plurimis annis bellum se ipsum (ut *Livius* loqui amat) aluit. *Abdimelicho* scilicet ad furias pertracto regni sui anno XXI. qui salutis 701. (e) *Vlidus*, *Abedramonis* filius, *Misalmuminus* (quæ vox Arabicâ linguâ *Credientium Principem* notat, quomodo se *Abedramon* ipse appellavit,) co-

D 3

gnomi-

(a) *Cedren. p. 365.* (b) *Gerard. Mercator. in Tab. conf. Cedren. p. 366.*  
(c) *Bizar lib. 6. p. 213.* (d) *Cuspinian. de Imperat. Diacon. lib. 20. Zonaras tom. 3. Cent. Magdeb. 8. c. 16. p. 903.* (e) *Abrah. Zacuthi.*



gnominatus Armeniam tenuit A. 708. Sed & idem perdidit, deficiente populo ad Romanos. (a)

*Quod malè quæsitum est, peius abire solet.*

Anno 730. Imperante Leone Ilauo, Armeniæ ac Mediæ Prætorem Saracenum, *Gradacum*, *Cacani* Bulgarorum Regis filius superavit, eo que ipso has duas Provincias Romanis restituit. (b) Circa idem ferè tempus *Malsamas*, Saracenorum Dux, postquam cum Turcis, qui & *Hunni Teutazite*, id est, gentiles tum vocabantur, in Caucasii claustris congressus esset, & pacem cum *Cacani* filio firmasset, in Armeniam concessit. Quomodo ante nominatus Imperator *Zulciminii*, Saracenorum *Chalipha*, (i.e. summi Principis) qui tertium Armeniam deprædatus erat, impetus cohibuerit, *Bizarus* lib. 6. p. 219. seqq. ex *Calio Augustino Curione*, à quo sua mutuatus est dissimulato auctoris nomine, ostendit. Non ἀπόχως hic quasi ἐν παρόδῳ adjicimus, antequam penitus à *Justiniano* abeamus, *Procopium*, Scriptorem aliàs non incelebrem, *Cedreno* apertis tibiis contradicere, in eo, quod scribit, (c) *Justinianum Regni Armenici nomen extinxisse*, (cum illud absq; ordine videret ferri & gubernari) *præsidi instituto & militaris exercitus descripta multitudine*. *Cedrenus* contra iam ante huius Imperium Armeniam sine *Præfectis* fuisse, tantumq; *Comites & Barones* habuisse observat. Eundem enim Imperatorem primum *Tzizan* virum bellicosum & rebus gerendis aptum præfecisse, atque adeò *Theodore Augusto* Sororem, nomine *Comito*, ei collocasse. Cui inter hos primæ adsignandæ sint partes, *Oedipus* aliquis *Palæmon*ve edisserat, me fugit. Neque alterutrum veruto fodere sedet animo: Citra tamen controversiam est, quòd ab hoc tempore à Ducibus & Patriciis Armenia Major gubernata sit, quæ tum quoque peculiare nomen accepit, ut *Armenia quarta* nuncuparetur.

XI. E

(a) *Bizar.* p. 213. (b) *Id.* 217. l. 6. (c) in *Reinecci Append. ad Haythou.*



XI. **E** diverticulo in orbem redeamus. De novo *Turca* è jugis Caspiis (alii è Caucasus, ubi gens latrocinii dedita habitavit, legendum putant, (a) contra Othonem Frisingensem) (b) circa A. C. 763. eam diripuerunt. (Baron. ex Theophane ad hunc annum) (c) Cœterùm memoratu dignum est, quod Romanus exercitus *Constantini VII.* matri *Irene* admodum infensus fuerit, quoniam perspexerant solam eam, neglecto filio imperare velle: coegerunt itaque illam, ut deponeret fasces, & filio permitteret. Cum verò *Constantinus* regno potitus matrem ad dignitatem pristinam accerferet, miles pertæsus de novo Imperatore, *Alexio* nempe *Mosole*, eligendo consultare cœpit. Cujus propositi *Constantinus* demum certior factus, Armeniacos vicit, & seditionis capita sustulit: reliqui proscripti, mille vincti, in urbem introducti, faciebus atramento inscriptum ostentarunt scomma. (d)

### ARMENIACUS INSIDIATOR.

**D**ignum conspirationis sceleratæ supplicium. Quo nomine & à Philippo Macedone, INGRATO MILITI, (e) à Restione, SERVO MALITIOSO (f) ignominia vestigia *inusta* vel *inscripta* sunt. Proporrò sub Imperio Imperatoris Græci *Michaelis*, Theophili. Fil. (g) Dux Saracenus *Amer*, *Melitenæ* præfectus, exercitum XL millium eduxit, & impressione facta in Romanas Provincias, Armeniam & maritima loca devastavit. Quam cladem ut victoriâ *Michael* compensaret, *Petronam* Avunculum suum quem

(a) Scilix Auctõr *Historiæ Constantinopol.* & *Martin. Segovinus Novomontanus.* conf. *Prateol. Heres.* p. 62. (b) lib. 5. *Annal.* (c) *Hartmann. Schedel.* et at. 6. f. 155. in *Centur. Magdeb.* 8. c. 16. p. 917. (d) *Cedren* p. 388. *Centur. Magdeb.* 8. cap. 6. ad A. C. 791. 792. *Paul. Diaconus.* p. 933. *Bizar.* l. 6. pag. 22. (e) *Seneca de Benef.* 4. 37. (f) *Appian. Alex. de bell. Civ.* f. 614. conf. *Colvius in Apulej. Lips. Elect.* c. 15. (g) *Circa Ann. Chr. 842.* *VVagner. Hist.* lib. 7. pag. 460. *Cedren.* pag. 447.



quem Thraciæ tunc præfecerat, hosti cum validissima manu militum opposuit, à quo *Amer* cum toto exercitu ad internecionem deletus, in *Petronæ* manus tandem incidit. (a) Sane, ut in tumultuante сало æstum ætus reciprocus, & fluctus fluctum excipit: sic una procella discordiæ centum alias quasi in se volvit, & totam Armeniam tantum non absorpsit. Vario quippe & ancipiti post hæc Marte in ea inter Saracenos ab una, & ab altera parte Romanos, (seu magis Græcos, avulsum enim jam tum erat Imperium Orientis ab Occidente) pugnatum fuit. Quantum autem vetustissima, quæ consulimus monumenta, conicere suadent, benè multo tempore sub durissimæ Turcarum Tyrannidis jugo, deservivit, abolito Rege, & Barone in ejus locum suffecto. Quis igitur regna quoq; suam perpeti mortem dubitet? Quæ citò excrevere in altum, facile vento flectuntur. Jubet pietas ut hîc memoriam Christianorû Argonautarum repetamus, & *Bullionei* Lotharingiæ Principis generosis conatibus, æternatura marmorâ meritis, denuò jam parentemus. Si *mortes pro patria appetita clara ac beata videri solent*: (b) certè bella, quæ pro religione suscipiuntur, aurata tropæa postulant; quoniam

*Puniceis humilis quantum saliunca rosetis,*

istis alia cedunt. Heros ille prægloriosissimus, terram sanctam ex unguibus Harpyjarû Turcicarû liberandi, ac Orientalem Ecclesiam repurgandi studio deditissimus, Principum, quos modo poterat in consortium trahere, auxilio, præcipuas Asiæ Provincias Christianis restituit. (c) Ast fatalis alea incertis jactibus in hujus vitæ tabula mortales eludit! Godofredo enim mortuo, regnoq; ad alios delato, omnia

*In pe-*

(a) *Bizar* l. 6. p. 236. (b) *Cic. Tuscul.* p. 191. C (c) *Baron. ad Anum clc.* Tom. XII. p. 5. §. 8. *Papp.* p. 80. 81. *Histor. de Convers. Gent.* *Genebrard.* l. 4 *Chronog.* l. 4. p. 604. & *Rabbi Joseph. Sacerdos* in *Chronic. Reg. Franc. & Turc.*



*In peius ruere & retrò sublapsa referrì :*

Nondum seculum exactum erat, cum pagani novis viribus armati Hierosolymas Christianis eriperent. (a) Tandem verò Anno à Victoria Bullionei centesimo nonagesimo sexto, quæ remanserant Regni Provinciæ in Saturam Muamaticam coaluerunt, unicâ minori Armenia veri DEI cultum servante. (b) Postremum ex dispersis ruderibus novi Regni fundamentum jecit in Armenia minori pars fratrum Christianorum è majori, Robinus videlicet & Leo. (c) Major natu Robinus diversis Baronibus partem Armeniam ingressus, partim subigere eos, partim sibi conciliare satagebat. Hoc peracto Præfecti magis nomine, quàm Regis rem omnem administrabat, superstiti fratri Leoni sub vitæ finem regnum cum filia, hærede illius relinquens. Is verò dominandi vesanâ libidine exstimulatus soli sibi regnum quo vindicaret, Oratores ad Papam Innocentium III. & Othonem IV. sive rectiùs, (juxta Arnold. Lubecens. qui circa hæc tempora vixit, & aliis Historicis in candore calami fasces non submittit,) (d) ad Heinricum VI. cujus auspiciis Christianæ copię in Asiam transierant, destinat, confirmationem regni sollicitantes, cum antea Armenorum Principes, Generales dicerentur. (e) Obtinere etiam illi, ut Moguntinus Archiepiscopus circa A. C. 1197. juxta Henric. Spondan. in Annal. pag. 380. §. 4. (f) Leoni coronam offerret, hoc addito postulato: *Ut omnes pueros infra, XII. annos existentes, Leo poni faceret ad literas Latinas.* Postmodum Barones omnes Rex

E

nepo-

(a) Baron. ex Rogerio. T. XII. ad Annum 1187 pag. 814. §. 19. (b) Carion, Chronic. lib. 5. pag. 878. (c) Specul. Historic Vincentii cap. 29. lib. 32. (d) Chronic. Slavon. lib. 5. cap. 2. seqq. conf. Nob. Conring. Tract. de Finib. Imper. German. cap. 17. pag. 305. (e) Spondan. in Annal. ad Ann. 1170. §. 12. pag. 330. part. 3. (f) ex Conf. Bzovius T. 13. Annal. Baron. Tom. 12. pag. 909. §. XI.



nepoti suo Robino tanquam legitimo hæredi homagii iuramentum præstare, & *ter jurare fecit*. Et postmodum Lachesis inextricabili suo volumini illum inclusit. Tum Armenia in novam quasi *πολυαρχίαν*, quæ Cariam perdidit, juxta vetus Proverbium, dissiliit, (a) quando scilicet Constantans, ejusdem regni Baro, *spe Principatus, quæ sæpè ad nefarios conatus prava ingenia perculit*, uti Josephus habet (b) & regnum, & filiam Leonis, licet Antiocheni Principis fratri nupsisset, ad se rapuit, utraque Helenâ filium Haythonum, cujus proxeneta esse volebat, donans. Et ne pœnas plagii malignus homo incurreret, LXII. Barones, à quibus sibi metuebat, Marti victimas cruento ferro immolavit, ac *Magno Chan* (ita Rex & Princeps Tataris appellari solet) Tatarorum (Tataros, non Tartaros hanc gentem dici, Joh. Leunclavius in Pandectis Historiæ Turcicæ observavit, & ex vetustis MSS. Codicibus evicit, allato vetusto Epigrammate *Ottocaro* Bohemiæ Regi scripto:

*O Rex Ottocare, quondam pugnaſtis honeſtè,*

*Nunc ſt. as in pannis depictus cum Tateranis. )*

Imperatori à *Tzingis Chan* IV. per filium *Sinebaldum* salutato, se & regnum suum submitit. (c) Paulò post idem Sinebaldus ad nutum *Haytoni* fratris Tatarorum limina repetiit & foedus icit, ut cum Tataris securè conversari Armeniæ incolis liceret. (d) Hinc ad Imperatorem, ubi petitis benevolè adsurrexerat, ipse Rex Haytho invisit, & præter plures condiciones consecutus est, ut Imperator cum suis Sacramento Baptismi initiatus, Christianismum profiteretur. Hoc factò & confirmato, *Haalonus* seu *Hiclonus*, ut alii habent (e) Imperatoris frater, juncto sibi itineris comite Haythono, Persiam tum quidem Regis expertem,

pro-

(a) Cic. Orat. pro Flacc. p. 521. F. conf. Chil. Eras. (b) Antiq. Judaic. lib. 16. cap. 8. (c) Circa Ann. Chr. 1245. Haytho Histor. Orient. cap. 23. (d) Id. ad A. C. 1253. (e) Bizar. lib. 8. pag. 276. ad A. C. 1258. Haytho cap. 24.



pro fide subjugavit : Interea Tatari A. C. 1268. à Catho  
Sultano Ægyptio è Syria expulsi sunt, & Haalonus qui no-  
vis legionibus Saracenos exagitare constituerat, vivere  
desiit. Denique *Bendecar* Ægypti Sultanus, (a) (quæ vox  
non Regem Regum denotat, qualem Turci suo Idiomate  
Padischachum dicunt, qui Cedreni error est, (b) sed po-  
tentem Dominum, apud Italos *il grand Signor*, Turcis de-  
notat;) Armeniæ regnum absente Rege, qui ad Abagam  
Saracenum paulò ante perrexerat, invasit & depugnatis  
in acie duobus filiis ipsius, quorum alter captus, alter cæ-  
sus, totum regnum miserè devastavit. Hâc clade Rex  
consternatus Legatos ad Sultanum ablegavit, & certis  
conditonibus à se concessis inducias & filium captivum  
*Tivionum* seu *Thynum* impetravit. (c) Demum cum Rex *Hay-  
thon* post dimidium ultra tres annos exactum, domum re-  
versus, abdicata coronâ religionem ingressus, mutato  
proprio nomine in Macarium, (quæ consuetudo apud Ar-  
menios obtinebat,) filio Tivono sceptrum detulisset, A. C.  
1270. vitam finivit. (d) Tivonum alii ejusdem profapiæ  
exceperunt, quibus tamen nullo non tempore Saraceni,  
venenatum Eridos pomum projicientes, facefferunt ne-  
gocium. Ultimus Christianorum Regum, quos justa serie  
*πολυίστωρ* icæpè laudatus Reineccius, enarrat, fuit Leo Li-  
voni filius, qui patriæ à Saracenis erepta Pergama recu-  
perare intendebat; sed frustra: Siquidem Romam ad Urba-  
num VI. & Carolum VI. Reg. Galliæ profectus auxilii ex-  
petendi gratia, totam ardere Galliam bello, quod Richar-  
dus II. Angliæ Rex incenderat, conspexit. Proinde pa-  
cificatoris provinciâ egregiè perfunctus & *Richard* bene-  
volentiam detentus, totum in Anglia decenium morari non

E 2

dubi-

(a) *Centur. Magdeb. XIII. c. 16. p. 1371. & 1372.* (b) *vid. Leunclav. Hist. Turc. c. 2.* (c) *Bizar. l. 8. p. 279.* (d) *Haython. p. 23. c. 33. & Appendic.*



dabitavit. Interim caussa ejus ad *Bonifacium IX.* delata fuit, cujus ævo adversum Tunetanos in Africâ bellum de- liberatum est, ut hoc pacto sub Muhammedica Tyrannide Armenia permanferit. In medio intereâ relinquimus. *Ægeæ Sylvii* assertionem, qui adhuc suo tempore, circa A. D. 1440. Christianos Duces Armeniæ tribuit, (a) & in his *Bedebehi* legationem ad se commemorat, quò cupi- dum lectorem remittimus.

XII. Satis diu inter horrifona Bellonæ fulguran- tis tonitrua versati, tot feralia diritatis barbaræ exempla, quibus in tumulos, busta & cinereos rogos omnis ferme Armenia conversa est, non absque consternatione ac de- testatione adspeximus: nunc tragicos cothurnos leviore focco mutemus, vociferantemque lituorum strepitum, qui hucusque aures nostras verberavit, jucundiore de Armeniorum moribus narratione temperemus. Fortes hi populi priscis temporibus, ac strenui fuisse perhiben- tur, post autem vacunæ & abdomini se mancipasse. (b) Benevolus eorum in Germanos affectus ubique celebra- tur Historicis, quem & olim & hodie peregrinantibus e- gregiè exhibent; velut *Nob. Olear.* in *Itinerario Persi- co* recenset, his quidem verbis: (c) Dieser Tage kam der Armenische Gubernator Sefarasbek mit zweenen seiner Brüder / die Gesanten zu besuchen / und sich mit ihnen besantzumachen. Es waren freundliche und guthertzige Leute. Et nonnullis interjectis pergit: Zu bezeugung ihres danckbaren Gemüthes und wilfährtigen Hertzens / stelles- ten sie den 18. August. A. 1637. ein sehr herrlich Banquet an / zu welchem sie die Gesanten mit dero ganzen Comitatz ein- luden. Alibi etiam de illorum beneficentia meminit, sic scribens: (d) Die Einwohner dieser Dörffer werden Desach und

(a) in *Epist.* pag. 848. usq; ad 852. (b) *M. Paul. Venetus. Itinerar. lib. 2. pag. 62.* (c) *part. 2. p. m. 392.* (d) *lib. d. pag. 400. & 401.*



und Verende / von ihrer Landschaft (nicht ferne von Iruan  
 gelegen woraus sie Schach, Abas genommen / und dahin  
 versetzt /) genennet / seind Armener. Diese / weil sie ver-  
 nommen / daß wir Christen waren / wusten nicht / was  
 sie uns aus Liebe Gutes thun solten / verehrten uns  
 viel schöne Früchte / und köstlichen Wein. Es kam der  
 Armenische Gubernator Sefarasbek, mit etlichen grossen  
 Herrn / die Gesanten zubesuchen / waren lustig / verehrten  
 uns zwo Reheböcke / Abu genant / und etliche Reiher &c.  
 Nec minus ubi de Indorum tumultu contra Legatos agit (a) eos  
 à fidelitate commendat: Die Gesanten mit solcher eussersten  
 Noth umfangen wusten keinen bessern Rath / als daß sie  
 in ihren Gemache durch die Wand in des Nachbarn Hoff  
 brechen / welches ihnen die Armener wohlgefallen lieffen /  
 auch Leitern an eine hohe Wand ihres darbey gelegenen  
 Kirchhofes lehneten / auf welche sie im Nothfall die Ges-  
 anten über uns in die Kirche zu salveren sich erboten; Was-  
 ren also die guten Leute uns in unser Noth sehr getreue  
 und bedienlich. Nicetas (b) de Imperio Isaacii Angeli,  
 refert, Armenios non solum cum Germanis commercia,  
 sed & plura religionis dogmata communia habuisse. Et  
 Beronoardus quidam Friederici Barbarossæ ævo, confir-  
 mante Aventino, (c) scriptum reliquit; nondum illo tem-  
 pore in finibus Armeniæ usum Germanicæ linguæ, (quam  
 Phryges primum ibidem introduxisse vulgaris coniectu-  
 ra adstruit,) (d) de fuisse: adeò ut illud idioma cum Bavari-  
 co ad unguem convenerit; quod nobis ut persuadeatur,  
 λία μείγα αίτημα videtur. Prædictus Nicetas (e) asserit,  
 Barbarossam honorificè ab Armeniis susceptum, quoniã  
 hujus gentis magnus amor in Germanos fuerit. Quemad-  
 modum suo quoq; exemplo edoctus Schiltpergerus proba-  
 re voluit. (f) Germanos nominant Numitz, ad Henetarum

E 3 gen-

(a) p. 380. (b) lib. 2. pag. 46. (c) Allegat Reinecc. Append. ad Hay-  
 thon. lib supra d. (d) Id. Syntagm. pag. 261. (e) pag. 47. Lazius lib. 7. de  
 Migrat. gentium. (f) in Histor. Germanic,



gentium imitationem, quibus audiunt Nemetzi, quod  
pud Græcos Constantinopolitanos irrepsisse ex Nice-  
phori Gregoræ & Glycæ Historiis constare potest.

### CAPUT TERTIUM.

*I. Armeni superstitiosi Anaitidem coluerunt. Templum eius ab An-  
tonio spoliatum. Persarum, Medorum & Armeniorum con-  
formitas in Sacris. De Noacho & uxore eius Aretia. II. Bar-  
tholomæus Apostolus Armeniis prædicat Evangelium.  
De eius supplicio variant Scriptores. Armeniorum pietas  
laudata. Constantii favor in Christianos. Plures Nationes  
conversa. III. Ecclesiæ in Armenia. Tiridates Rex conversus.  
Chrysostomi ministerium in confinio Armenia commenda-  
tur. Mors ejusdem. Armeniorum Episcopi Catholici. Otho  
Frisingensis à Brerewodo notatus. Tarsus laudata. IV. Tur-  
ba & persecutiones variæ in Ecclesiis. Martyres animosi.  
Juliani perversitas. Arsaces à Sapore miserè jugulatus. V. Ri-  
xa in Armenia oriuntur ob Arianismum. Basilius se defen-  
dit. Synodus Ephesina quando celebrata. Concilium Arme-  
niacum, in quo Nestorii dogmata improbat, quæ discipuli ejus  
propagare student. Acacii & Rabula laudabilis conatus.  
Cosroës Christianorum hostis. Mirabile exemplum de tem-  
plo XLIX. Martyrum servato. Constantius favet Manicheis.  
Legatio Armeniorum ad Nicolaum Papam. Justinus Ma-  
nichæos pertinaces vivicomburio plectit. De Nicone, Apo-  
stolo, ut volunt Pontificii, Armeniorum. Armenii malum  
nomen apud Occidentales ob consuetudinem cum Manichæis  
facti. Dissidium Græcorum cum Armeniis. Armeniorum Le-  
gati consulunt Papam. Informantur miraculo Pontificio. Lu-  
cio III. se subjiciunt.*

#### §. I.

**J**usto diutiùs forsitan enarrationi Regum, tum gen-  
tilium, tum Christianorum immorari possemus vi-  
deri:



deri: nisi ipsa Historia prolixiores lineas postulasset. Et enim non pauca sese objecerunt difficultates, è quibus non nisi variorum Scriptorum collatione, tanquam filo Ariadnæo adjutis evadere nobis licuit. Firma ea propter me tenet spes, impensam operam non ingrata esse futuram Lectori Φιλοίσοι, nec omni prorsus utilitate carituram; cum hic ὡς ἐν ἑπιτομῇ junctim lustrare possit, quæ seorsum à pluribus leviter tacta fuerunt. Jam methodi nostræ ratio jubet exactius perscrutari, quæ ad Christianismi apud Armenios initium faciunt. Antè autem dicata antiquitùs in Armenia superstitioni adyta fugitivò saltim oculo, & per transennam quasi introspicere juvat. Pro dunt vetusta Historicorum testimonia, eam profundis gentilismi tenebris obnubilatam fuisse, quas à Persis & Medis, tenacissimis illis Idololatriæ parastatis, quibus cum Armenii in eadem qs. domo hospitabantur, in hanc regionem transvolasse, crediderim. Quoniam tribus hisce nationibus idem ferè Sacrorum cultus extitit. Præ ceteris numinibus maximè omnium religiosè, (verius supersticiosè) habuerunt Venerem, quam Persæ suo idiomate *Anaitem* seu *Anaitidem* salutabant: Etsi inter Eruditos nondum convenit, quid propriè hoc intelligi nomine voluerint, an Lunam, an verò Venerem, ut multi nominis Historicus Agathias, (a) & cum eo plures putant; quod de lecturientem Vossius ὁ μέγας (b) informabit. Huic Deæ peculiaria fana sacra verant; ac Armenii quidem rigidà lege cautum volebant, ut illi sexus sequior sacrificia offerret. Statua *Anaitidis* in hoc templo ex auro solido fabricata servabatur, quam Triumvir Antonius *Arduasde* per insidias capto, circa Annum mundi 1370. & Armeniâ sibi omni subjugatâ expilavit. Virgines ibidem nubiles con-

venie-

(a) Lib. 11. (b) Adde Seldonum de Diis Syris Synt. 2. c. 8. de Orig. & Progressu Idololatr. lib. 2. p. 415.



veniebant, ex turpi prostrata pudicitia lucro dotem col-  
 lectura; quò postmodum cujusvis, qui ipsis arrideret, con-  
 jugium exoptulare possent: Nemo namque detrectare  
 illud debebat. Res tota commodum ex historia cogno-  
 scitur, ideòque otiosum puto, illam aliis heic enarrare  
 verbis. Ita verò Amasenus Philosophus & Geographus  
*Strabo* habet: (a) Ἄπαντα τὰ πῶν Περσῶν ἱερά καὶ Μήδοι, καὶ Ἀρ-  
 μηνοὶ τετιμῆκασιν. Τὰ δὲ τῆς Ἀναΐτιδος, διαφερόντως Ἀρμενιοὶ.  
 Ἐν τε ἄλλοις ἰδρυσάμενοι τόποις, καὶ δὴ καὶ ἐν τῇ Ἀκιλισσηῇ. Ἀναπήγασιν  
 δ' ἐν ταῦτα δάλας καὶ δάλας. Καὶ τὸτο μὲν ἔστι θαυμαστὸν. Ἀλλὰ καὶ  
 θυγατέρας οἱ ἐπιφανέστατοι τῶν ἔθνων ἀνιερεῖσιν, παρθένας, αἷς νόμος  
 ἔστι καταπορευθεῖσας πολὺν χρόνον πρὸς τῇ θεῷ μὲν ταῦτα δι-  
 δοῦν πρὸς γάμον. Ὅσα ἀπαξισθῆναι τῇ ποιότητι συνοικεῖν ἕθενός.  
 Τοιοῦτον δὲ πρὸς Ἡρόδοτον λέγει τὸ πρὸς τὰς Λυδίας. *Omnia*  
*Persarum Sacra, & Medi, & Armenii, religiosè colunt. Prae-*  
*ceteris verò Anaitidem Armeni, cui & alibi templa posuerunt,*  
*& in Acilisenà. Ibi servos servasq; ei consecrant; quod sanè mi-*  
*rum non est. Sed & illustrissimi ejus nationis filias suas virgi-*  
*nes ei dedicant: ac lex est, ut longo tempore apud Deam constu-*  
*prentur, deinde nuptui dentur; nemine talis mulieris conju-*  
*gium dedignante. Tale quid etiam Herodotus de Lydis mulieri-*  
*bis scribit. Franciscus Patritius (b) edisserit, virgines an-*  
*te nuptias statutis diebus ad maris luttus emissas fuisse prae-*  
*fati lucri causa, quod in honorem Anaitidis factum*  
*suspicor. Ea ipsa quoque sanctè colebatur in Zelitica,*  
*regione Armeniae, sic dicta ab urbe Zelâ, quam, ceu ci-*  
*tatus suprâ auctox recitat, (c) παλαιὸν οἱ Βασιλεῦς ἔχοντες πό-*  
*λιν, ἀλλ' ὡς ἱερεῖ διέκρινεν πῶν Περσικῶν θεῶν, Reges gubernabant,*  
*non ut urbem, sed ut Persicorum Deorum templum. Insuper*  
*opinio est, primos Armenios Noachum, sub nomine Ja-*  
*ni ob vini inventionem, & uxorem ejus Aretiam, quæ il-*  
lis

(a) lib. XI. (b) de Republ. lib. 4. Tit. 3. (c) lib. XII.



lis *ἑστία* seu Vesta dicebatur, veneratos esse. Sed hanc dudum laudati Vossii (a) calamus in exilium proscriptit: quare opus non habemus, ut in ea multum tricemur.

II. Ita balabundi grassabantur ut Planetæ, errorum nocte tantum non contumulati, donec divinæ veritatis lampas super eos radios spargeret, & per Evangelii prædicationem oculos mentis suo fulgore illuminaret. Factum illud est citra dubium Apostolorum tempore, quorum sonus, juxta CHRISTI mandatum, *εἰς τὸν κόσμον πάντα* abiit, ac proinde etiam ad Armenos pervenit, & vagienti Ecclesiæ incunabula paravit. Fertur fidus Domini Legatus Bartholomæus, in Lycaoniâ primùm, hinc in India, postremò in majori Armenia, Claudio imperante circa A. C. XLIV. salvificæ fidei mysterium revelasse. Grato equidem animo aliquot ibidem illud excepere, plures immedicabili superstitionum cœcitate seducti, præfractè repudiarunt. Idem enim Divus Apostolus apud Sophronium excoriatus legitur, (b) in Armeniæ Urbe Albana, ubi etiam corpus ejus sepultum jacere, B. D. Thummius in de Festis Judæorum & Christianorum p. 161. (ubi tamen notabile erratum typographicum irrepsit. Etenim pro *Armenia* legitur d. l. *Annenia*. Excoriationis Bartholomæi Isidorus quoque meminit, de vita & obitu Sancti p. 177. Verùm Nicephorus (sequutus fortè Cōment. Hippolyti de XII. Apostolis) lib. 2. c. 39. capite deorsum pendente crucifixum eum esse refert. Iniquissima certè in insons caput sententia, sceleratumq; supplicium, quod tamen piam Viri innocentiam Christianâ parentante constantiâ gloriosè coronavit. Sanguineis prosequenda fuis-

F

set

(a) Lib. 1. de Idololat. Orig. & Progress. c. 24. p. 179. ex Annio. (b) D. Job. Pappus Histor. Ecclesiast. p. 28. Conf. Baron. ad ann. citat. Annal. Eccles. Tom. 1. Hotting. Histor. Eccles. Sect. 2. Seculo I. pag. 29. Hieron. ad Dextr. lib. de Illustrib. Scriptor. Tom. 1. pag. 101.



set lacrymis jactura tanti Doctoris, si eum infecto prædicationis opere subire necem coegisset Tyranni immanitas: Sed tolerabilius fortè perferri mors ejus poterat ab ejus auditoribus, eò quod in nonnullis fidelium cordibus accensas cœlestis Doctrinæ favillas, lenioris aliquando auræ afflatu suscitandas reliquerat. Illas etiam per aliquot annorū centurias sine morte esse conservatas, ex Eusebio (a) colligo: quando Armenios sub funesto Diocletiani imperio, pietatis præ cæteris studiosos operose de prædicar, & insuper civitatis alicujus in Armenia ad Euphratem meminit, in qua Christiani fuerint. Ecclesiarum verò Episcopum *Meruzanem* nominat, ubi Dionysium etiam fratribus per Armeniã de pœnitentia scripsisse narrat (b) Horrorem obscuræ noctis, quam *Diocletianus* induxerat, novæ auroræ crepusculū in *Constantio Chloro* solabatur. Favebat ille impensè admodum Christianis, & religionem, quo poterat cunque modo propagare, ad ultiores Gallos, Italos & Britannos, eosque, qui circa montem Pyrenæum ad Oceanum usque in Occidente (cujus Imperium illi obtigerat, *Galerio Maximiano*, quem ex errore alii *Maximinum* vocant, tenente Orientem,) habitabant, curabat: publicis interdictis præcavens, ne cuiquam religionis causa damnum inferretur. Et quo magis suum in caput attollentem Ecclesiam exfereret affectum, suorum in aula pietatem exploraturus, sapiens & planè singulare consilium inivit, electionis libram illis suspendens, ut quilibet Idola veneraturus, in sua fortuna & conditione persisteret, qui autem à vero DEI cultu nolent deficere, Imperatoris gratiã exciderent ac amandarentur. Tum plures ad superstitiones accedere, auramque aucupari aulæ, quàm sorte suã privari maluerunt. Quã levissimarum

m e n

(a) lib. 6. *Histor. Eccl.* .l. 2. c. 7. (b) *Id.* lib. 7. c. 45.



mentium lubricitate perspectâ piissimi Imperatoris ingenium tantoperè exarsit, ut indignos judicaret suo servitio, qui DEUM ipsum perjurio lædere parum vererentur. Contrâ DEO fidem servantes exquisitis laudibus evexit, suoque lateri proximè adhærere jussit. Inde cœtus qui concomitari eum solebat, veram Ecclesiæ faciem repræsentare videbatur. (a) En rarissimum pietatis argumentum, æternis seculorum periodis celebrandum. Non Papyro imprimendum, sed Cedro, aut Pario lapidi; non calamo, sed acutissimo adamante! Post in Britannia Eboraci A 306. naturæ communi debitum persolvit laudatissimus Princeps, filioque Constantino Magno trabeam commendavit. Erat ille paternæ probitatis servantissimus æmulator, Christicolarum pupilla, firmisimumque asylum. At v. quî poterat aliter, qui Angeli alicujus, ægroto Constantio adstantis suffragio, electus præ reliquis credebatur? (b) Quamobrem quò læta tandem, immò aurea dies Christianum orbem gratulabunda exhilararet, nihil in promovenda religione intermittebat. Extinctis Diocletiano, Maximiniano, Galerio, Maxentio, Maximino & Licinio, nocentissimis illis furiis, laceratas Romanæ aquilæ alas conjungebat, & ad omnes, quæ Romanis parebant gentes, emittebat mandata, ut Idololatriæ philtro inebriati, ad rutilantem veræ religionis faciem evigilarent, & excusso vago Deorum cultu, Eccl. Christianæ manciparentur. Ædificata tum Sacraria, certiq; reditus ex Imperatoris ærario ad alendos Sacerdotes constituti, quo ipso notabile accessiones factæ, quas Ecclesiasticæ Historiæ conditores prolixis voluminibus explicarunt. Felicissimus Magni Chrysofomi imitator Theodoretus (c) enarrat, *Omnes*

F 2

natio-

(a) Baron. ad Ann. 304. Tom. 2 pag. 831. ex Eusebii l. 7 c. 9. 10. in vita Constantini (b) Zonaras lib. 2. Annal. in Diocletian. (c) lib. 1. c. 6. Paul. Diacon. l. 11. B. D. Pappus Hist. Eccl. p. 47. 48.



nationes assidue tum ad fidem Christi currisse, & baptizatos simulacra prisca conculcasse. O auspiciatum Ecclesie Christiane natalem, quo Oriens, consonantibus religiosè tot piorum suspiriis, felicius triumphare potuit, quam Creta quondam parvo Jove gloriari. Alii putant, quòd miracula Sacerdotum, qui sub *Gallieno*, ignitâ Ecclesie face, captivi abducti fuerant, multas gentes ad Baptismum illexerint, quemadmodum per mulierem Christianam captam, quæ adolescentulum ægrum, & regis uxorem incurabili, uti opinabantur, morbo decumbentem suis precibus sanitati restituit, ad Iberos, qui ultra Armenios ad Pontum Euxinum habitant, fides propagata legitur.

III. Ex dictis haud obscure cognoscitur, à fine statim Seculi tertii extitisse in Armenia Ecclesias. Nam ut præteream insigne illud encomium, quo mactat Armenios *Sozomenus* (a) *divinos* eos nominans, *Ecclesiam Satalorum* in interiori Armenia celebrari deprehendo, nec non *Castabala*, urbis Cilicie (sub minori Armenia quondam comprehensæ, ut supra adductum,) cui præfuit Episcopus *Theophilus*, notante *Socrate*. (b) *Edessa* quoque ab initio universa communiter Christiana fuisse perhibetur. (c) *Optatus* verò *Milevitanus* circa idem temporis intervallum in duabus Armeniis Ecclesias collocat. (d) Et *Nicephorus* eo nomine *Melitinam* regionem extollit. (e) Sed forsantunc nondum tota Armenia Christianis repleta fuit, quando quidem *Tiridates Rex Majoris*, vel divinâ visione, quæ illi apparuerat, conversus, vel cœlesti adrastrâ, ob impietatem ad insaniam adactus, & *Gregorii* ope, quem durissimè ante vexaverat, restitutus, cum suis

(a) *Lib. 2. cap. 7.* (b) *lib. 4. Histor. Eccles. lib. 4. cap. XI. & lib. 3. cap. 25.* (c) *Sozomen. lib. 6. cap. 1.* (d) *lib. 2. contra Parmenionem. Censur. Magdeb. 4. pag. 13. 55. & 67.* (e) *lib. 7. cap. 7.*



suis Anno demum Domini 311. si Cæsari Baronio credi-  
 mus, (a) ad Christianos transiit, & subjectis imperavit,  
 ut Christianismi consortes redderentur. Eam quoque ob  
 causam cum Gregorio ad Constantinum Imperatorem  
 pergens prolixos sermones de propagatione religionis  
 miscuit, tamque fervens pietatis assertor evasit, ut jejuniis  
 & assiduâ oratione nulli Monachorum cederet. Idem  
 cultus fati non repugnantibus ad successorem Arsacem,  
 promotus est. Quam admirabilem metamorphosin Hip-  
 ponensis Præfulis stylo jure prosequimur: *Nonne Reges*  
*terre vides, qui antea persequabantur Christianos, nunc inte-*  
*gros esse Christianos? nonne vides eos, qui humiliabant Eccle-*  
*siam, humiles introire in Ecclesiam? nunc ipsos habere defenso-*  
*res, quos antea habuit persecutores.* (b) His Ecclesiis hortus  
 Ecclesiæ recreatus fœcundas protrusit gemmas, ac lætè  
 virentia germina, quæ amplas regionum areas suo ambitu  
 complexa sunt Ille gratiæ divinæ fulgor *Theodosiopolin, Me-*  
*litam, Sebastiam, Nicopolin, Ariarathiam, Cotenem, Sophenam,*  
*Nisam,* aliasq; Armeniarum civitates florentissimas illustra-  
 vit. Ad *Cucusum* πᾶν χρυσὸν εὐμα, Magnus Johannes, exul præ-  
 dicavit, (c) & quos non aureo sermonis flumine, libera-  
 litate gratiosâ, cum splendidis abundaret opibus, ad se tra-  
 xit; unde non modo suis apud quos commorabatur, ve-  
 rum etiam vicinis gratus erat ac exoptatus. Tandem *Co-*  
*manis* subsistens, ad parente Martyre Basilisco, placide  
 expiravit. Singulis Ecclesiis certi constituti erant Pres-  
 byteri seu Episcopi, qui ad Patriarcham Constantinopo-  
 litanum pertinebant, quoniam Armeniæ ad Diœcesin Pon-  
 ticam referebantur) quoad à Græcis recedentes sibi ipsis  
 Episcopos duos eligerent, quos Catholicos seu Metro-  
 polita-

(a) Tom. III. Eccl. Annal. §. XXII. p. 67. conf. ad ann. 325. p. 378. 379.

(b) l. de Hæres. 6. 7. (c) Sozomen. lib. 8. c. 27. 28. conf. Cent. Magdeb. 5. p. 7.



litanos nominabant, (a) quòd τὴν καθόλου ἑπισκοπήν, uni-  
 versalem Ecclesiarum curam gererent : infinitum quip-  
 pe, & amplius quàm mille Episcoporum numerum sub se  
 habebant, cum suprema in omnes jurisdictione, cui ut al-  
 teri Papæ obedire debebant, licet Bellarminus (b) ejus-  
 modi Patriarcham non pro Romano-Catholico agnoscat.  
 Verùm quod ad numerum Catholico Armeniorum subja-  
 centium Episcoporum spectat, Othoni Frisingensi Brere-  
 wodus (c) scrupulum injicit, eumque communionem  
 Ecclesiarum cum jurisdictione confundere existimat. Ju-  
 risdictio Armeniæ si respiciatur, impossibile illi videtur,  
 quòd cum ea quatuor saltem provinciis inclusa fuerit, tot  
 Episcopi in iisdem esse potuerint, quemadmodum ex No-  
 vellis Leonis Sophi, & Guilielmo Tyrio luculentius o-  
 stenditur. (d) Communionem autem si quis attendat, &  
 Jacobitas Armeniis, cum quibus in capite de Christo, fa-  
 ciebant, societ, utramque sectam junctim mille Episco-  
 pos habuisse, Brerewodus non putat vero dissimile. Cæ-  
 terùm qua ratione Catholicus Armeniorum constituen-  
 dus sit, *Leontius* Magnus, Cæsareæ Cappadociæ Præsul,  
 Armeniis canonem præscripsit; ut videlicet à nullo alio  
 ordinaretur Armeniæ universalis, quàm à Cæsareæ Cap-  
 padociæ Archiepiscopo, in illos, qui aliter facerent, in-  
 tentato anathemate. Ast hi parvi præceptum *Leontii*  
 pendentes, à Syriæ *Amerano* suum Catholicum inaugura-  
 ri permiserunt. (e) Laudatus *Leontius* Armeniorum Pon-  
 tificem Gregorium, literarum Sacrarum eruditione, & in  
 Ecclesia tota tempore quoque priorum Pontificum omni  
 virtu-

(a) *Otto Frisingensis lib. 7. cap. 37. Centur. Magdeb. XII. cap. 2. pag. 13. Roger. in Annal. Casal. de ritibus Vet. Christ. (b) vid. B. D. Gerhard. de Ecclesia p. 336. (c) Scrut. Relig. pag. 188. (d) in Brerewod. l. d. (e) Theodor. Balsamon in Opere Canonum Concilior. pag. 1097. Baron. ex Epist. S. Nicon. ad Ann. 311. §. 24.*



virtutum genere maximè conspicuum ordinavit. (a) Megapolitano etiam Episcopo S. Pauli Apostoli μεγαλοφώνος patria *Tarsus*, Civitas Ciliciæ, quondam gavisa fuit, in cuius regionis urbe *Am*, mille fuisse Ecclesias, Vincentius (b) tradit.

IV. Enumeratis ita Ecclesiis, in earum pomœria nos conferamus, & quid à primo tempore in illis gestum sit, emisisti oculis lustremus. Vetus veriverbium est: *Nulla diu sine hoste felicitas, nulla diu sine hoste pax.* Tale fatum Ecclesiam nostram duris nodis innodavit, cum pleno anne malorum gargara in eam confluerent. Non diuturna illi concedebantur Halcyonia, exarmatis virulentis Orci mancipiis, quæ ad omnem nequitiam frontem perfricuerant, & omnes pene rivos sanguine innocenti cruentabant. Funestum drama in Christianorum aris inchoaverat *Diocletianus* cum complicibus, atrocissimis illis choragis, quibus nullus *Caucasus*, nulla *India*, aut nomine ipso terribilis *Hyrkania*, bestias ferociores unquam produxit. Imminebat divini nominis confessoribus supremum exterminium: Unde *Sulpitius Severus* (c) dolenter scripsit: *Omnis hæc tempestate ferè sacro Martyrum cruore orbis infectus est: quippe certatim in gloriosa certamina ruebatur, multoq; avidius tunc Martyria gloriosis mortibus querebantur, quàm nunc Episcopatus pravæ ambitionibus appetuntur. Nullis unquam bellis mundus magis exhaustus est, neq; majore unquam triumpho vicimus, quam cum decem annorum stragibus vinci non potuimus.* Has igitur cædes quò continuaret *Maximinus*, contra veteres Romanorum socios, Armenos (d) veram in Deum summâ pietate exercentes religionem, arma assumebat. Illi causæ suæ bonitate anima-

(a) vid. *Binius* T. 3. *Concil.* part. 2. p. 1153 ex *Lambert. Schaffnaburgensi.* (b) l. 31. c. 29. *Centur. Magdeb.* XIII. c. 7. p. 704. (c) l. 11. (d) *Cent. Magdeb.* IV. c. 16. p. 1561. ex *Niceph.* l. 7. c. 28.



animati, ac non tantopere ferrels clypeis, quam Christianæ fiducia cataphractâ loricati hosti contra ire nihil dubitârunt. Quid? quod nascentem in suâ regione Ecclesiam, sanguine proprio quasi fundare, & feciales ejus apud Deû fieri, nihil abhorruerint. Caput extulit Sebastia Min. Armen. plurium martyrio sub Præside *Hirenarcho* nobilitata, (a) qui præsentiam animi subeuntium supplicia admiratus, ipse ea perpeti non renuit, & crucifixi vexillis dare fidem. Ecquis non miretur subitanam isthanc mutationem, quâ carnifex ipse suam, cum vitæ etiam dispendio trucidatis jungere sortem, non extimescit? Sed faciliè, mortem quamvis primo intuitu terribilissimam, subit, qui momentaneum ejus dolorem perpetuæ beatitudinis felicitate compensari novit. Post alios *Acacius* presbyter, & *Athenogenes* Episcopus ejusdem, cum decem suis discipulis *Agricola* Præside martyrum coronâ exornati fuerunt, ut cum Phœnice posteritatem suâ morte animarent. Nec supinè prætermittendi sunt confessores perseverantes *Melitina*, mille centum & quatuor, cum cæteris, quos ejusdem minoris Armeniæ Civitas *Satalis* vidit, & in majori ante dictus *Tiridates*, variis tormentorum generibus enecavit:

*O mæsta dira scena Tragædia,  
Ecclesia tot lucida sidera,  
Dum gaudet immanis Tyrannus,  
Sanguineo perièvre ludo!*

Obierunt milites generosi, & abierunt in immortalitatis atrium, æterno victricis pietatis monumento decorati! Cœlestibus inscripta libris nomina ut gemmæ renitent ac scintillant. O splendidos Triumphos, in quibus DEUS militi, miles DEO victoriosam animam, perennaturæ felici-

(a) Baron. ad Annum 311.



licitatis symbolon porrigit. Non possum quin illorum honori stelam Christianorum Poetarum Principis, Prudentii, caractere exornem. (a)

*Martyres nec catena, dira nec mors terruit,*

*Unicum Deum fateri sanguinis dispendio.*

*Sanguinis, sed tale damnum lux rependit longior.*

*Hoc genus mortis decorum est, hoc probis dignum viris.*

*Pulcræ res ictum sub ense persecutoris pati.*

*Nobilis per vulnus amplum porta iustis panditur.*

*Vile censent expeditis ferre dextris spicula.*

*Dulce tunc iustis cremari, dulce ferrum perpeti.*

*Stant parati ferre, quicquid fors tulisset ultima!*

Supererat Diocletiana tragœdiæ ultimus actus, cum miserabili catastrophe absolvendus Juliano, qui novum sistens Polypum, vulpinâ primùm pelle velatus, benevolum vultum mentiebatur in Christianos, quò dein junctis dolo viribus eos jugularet. Nocentissima plerùmque vulnera blandientis adulationis oscula infligunt! Idolorum Sacraria ab Antecessore diruta Apostata restituebat, & quibus modò poterat blanditiis ac technis, Christianismum extirpari sollicitus; dirum in Persas moliebatur bellum, ad quod Armeniorum Regis *Arsacis* subsidium venenatis flagitabat literis, blasphemus in eum ore debachans; Nî suo postulato satisfaceret, *nec ipsum Christum, quem putaret Deum, se defensurum à sua violentia.* (b) Ast Imperator quò secutius aëra se pervolitare somniabat, eò turpius ut alter Icarus præcipitabatur. Mox namque Persico telo transfixus jecur, fœdè finiebat Imperium, quod per annum unum iniquè tenuerat, atque adeò suâ morte lætitiâ publicam & tripudia in Ecclesia Christiana intimabat.

G

bat.

(a) πρεὶ σεβάνων hymno 1. (b) Sozomen. lib. 6. cap. 1. cit. Baron. ad ann. 311. §. 27. & Tom. 4. ad ann. 363. §. 26. 28.



**Bar. (a)** Infelix verò *Arsaces* à *Sapore* Rege Persidis per fraudes captus, utroque lumine privatus, ac argenteis catenis, quod *honoratis vanum suppliciorum solatium esse aestimatur*, (b) ad castellum *Agabana* cervices subdere ferro coactus, miserâ morte interiit. Eo factò porta majoris Armeniæ Persarum tyrannidi patefacta est, quam ut cohiberent *Terentius* & *Arintheus* Duces, nutu Imp. Romanorum *Valentis*, exercitum eduxerunt.

V. Posteaquam persecutionis externæ procella deferbuerat, & malaciam tempestatis serenitas polliceri visa fuit, serpens infernalis ἀνθρωποκτόνον ἀπ' ἄπ' δεξιῆς ψεύτης ἔ πατήρ ἔ ψεύδης Joh. 8. 44. naviculam Ecclesiæ vertici involvere laborabat, perniciosissimâ Erebi sobole discordia vela illius inflante, ut reddita mundo quies rursus turbaretur. Breviter: violentam cladem insequēbatur fraudulenta, & membra unius corporis semet ipsa invicem lacerare incipiebant. Ἀνάγκη ἐστὶν εἰλεῖν τὰ σκάνδαλα, veritatis est pronunciatum Matth. 18. 7. Hæc in Oriente *Arius* cum contribulibus disseminabat, indiesque serpebant latius, ut Armeniæ incolæ Nicopolitani ea excindere non valerent. Proinde post obitum *Theodori* Episcopi, ab *Arianis* illis *Porthanus* obtrusus, sed & mox per *Arintheum* & *Terentium*, *Basilii* necessarium, expulsus & explosus est, concessâ illis Episcopum Catholicum eligendî facultate. (c) Tum *Cæleriensis* Præsul *Basilius* in junctâ sibi ab *Athanasio* visitatione *Macedoniæ* & *Achajæ*, minorem Armeniam, ut officio suo ex omni parte ritè defungeretur, accessit, & *Eustathium* *Sebastiæ* Episcopum, fidem orthodoxam docentem in *Nicopolitano* conventu socium adscivit: quamobrem reliqui eum cum *Eustathio*

(a) vid. *Sozomen.* (b) *Baron. Tom. 4. ad Ann. 369. §. 77. conf. Armenian, Marcellin. lib. 27.* (c) *ib. ad Ann. 370.*



colludere suspicantes, conceptus sibi nescio quos finxere, ut de apologia cogitare Basilius lacefferetur (a) Subsequenti seculo post Synodum Ephesinam primam, juxta computum Marianum, Anno Domini 432. vel 434. secundum mentem Prosperii, Theodosii Imperatoris edito institutam: concilium in Armenia, anno nempe 435. habitum est, ut blasphemum Nestorii dogma, jam Ephesi damnatum, penitus excinderetur. (b) Siquidem discipuli ejus Dioscorus Tarsensis, & Theodorus Mopsuestenus, libros suos in Armenicam, Persicam & Syriacam linguam transferri curaverant, quò facilius Nestorianismum propagarent. Iis se Acacius, Melitensis Episcopus, quem Nicephorus *columen & fastigium vera fidei*, salutatur, (c) juxta cum Rabulâ, Edessenorum Episcopo opposuit; scriptoque quodam præcavit: ne Armenii hæreticorum libros in idioma eorum versos reciperent. Tanto zelo Ecclesias ab omni impuritatis fermento servare immunes studebat pietatis amantissima gens, à qua æquè difficulter dimoveri tunc poterat, ac *Sol de cursu suo*, velut *Pyrrhus de Fabricio* hoste pronuntiavit; (d) licet eam *Cosrhoës* urgeret, (qui Christiano nomini infensissimus, sibi divinum honorem tribuebat, tam nefandâ perversitate, ut sola recitatio vix culpa vacet) Justinii tempore. (e) Quin Persarum crudelitate magis animata, publicè Christianismum profitendo se muniebat sub aquilæ Romanæ præsidio. Hisce cœptis favisse etiam videtur divina benignitas, quia templo X L I I X. Martyrum sub *Licio* interfectorum, injectus à Persis ignis nihil detrimenti

G 2

adfer-

(a) Baron. Tom. 4. ad ann. Chr. 371. p. 302 (b) Genebrard. Chronograph. lib. 3. p. m. 443. (c) lib. 14. cap. 30. conf. Salom. Gesner. Concilior. Tom. 1. pag. 363. (d) vid. Eutrop. (e) vid. Sigefridi Chronicon. & suprà cap. 2. §. X. Centur. Magdeb. 6. cap. 3. ex Eyragrii lib. 5. 6. 7. seqq. Genebrard. Chronogr. lib. 3 pag. 467.



adferre potuit. (a) Saracenorum insuper insultus viriliter perpetiebatur. (b) Verum enim verò resecto uno hydræ capite novum surgebat, (fomentum subministrante jurato Catholicorum hoste Constante Heraclii nepote,) Manichæum nempe virus, ex quo velut lernæâ palude nocentissima mephitis pleno torrente in Armenias redundavit. (c) Hæc postmodum Bulgariam infecit, cui ut medicas afferrent manus, ad Nicolaum Papam tum temporis Armenorum Legati abierunt. (d) Bona affulgebat scæva in Justiniano juniore, qui interemtis ibidem Saracenis, Manichæos in erroribus persistentes Vulcano sacravit, ut ex vetusto Scriptore Luca Siculo, Baronius deducit. (e) Reliquos eorum errores Niconem Armenum, divino instinctu ad Apostolatam impulsam sustulisse, vetus traditio est; quæ tamen parum probabilis habet purpuris, quando Jacobus Sirmundus Soc. Jesu, qui ejus gesta è Græco Latinè reddidit, ne gry quidem de Armenica reformatione memorat. (f) Nec tamen inficias iverim, illas Ecclesias hoc & subsequutis seculis multum de pristino virginitatis nitore perdidisse: Insuper etiam credibile est, quòd Manichæa hæresis in consortium suum alias ibidem contraxerit, adeò, ut deinceps Armenii apud Occidentales hoc nomine pessimè audiverint, & Armenum dici, fuerit hæreticum detexisse; quemadmodum quidam vir sanctus, Simeon, Benedicti Pontificis ævo suo exemplo comprobavit. Ille sc. aliquando cum sanctam urbem memorias piorum lustrandi gratia ingressus, ac hæreseos infimulatus esset non nisi examine cum Episcopo quodam Romam concedente, ad nutum Pontificis de fide insti-  
tuto

(a) *Centur. 6. pag. 502. cap. 13. ex Gregorio Turonensi. lib. 10. cap. 23. Sigebert. ad ann. 1. Mauriti.* (b) *Baron. ad ann. 653.* (c) *Id. ad ann. 722. Tom. 9.* (d) *Id. ad ann. 866.* (e) *Id. ad ann. 685. Tom. 8* (f) *Id. ad ann. 961.*



tuto vitam atque innocentiam salvare potuit. (a) Quam maxime autem Ecclesiasticam turbavit tranquillitatem inimicitia, quæ Armeniis cum Græcis intercedebat; nemo alteri cedere volebat, quilibet Orthodoxias defensor videri. Inde publicæ exortæ rixæ Armenios incitabant, ut ab ultimo penè Oriente prolixum iter per annum & sex menses a legati Episcopi susciperent, Papam Viterbii consulturi. Controversiarum acropolis circa ritus Sacrificii vertebatur, utrum pane fermentato, an azymo uti; & aquam vino admiscere, an merum apponere in Cœna, ut Græcis usitatum erat, liceret. Item quando Nativitatis Dn. ac Epiphaniæ festum celebrandum esset (b) Admissi igitur humaniter sacrificia observârunt. Quæ dum administrabantur, uni inter eâ eorum (ex Armenia) super summi Præfulis caput radium Solis fulgentissimum, inq; eo duas columbas ascendentes & descendentes apparuisse, Pontificii affirmant. Spectator aditum, ubi splendor permearet, nullum animadvertens, Divinum quippiam esse ratus, Romanæ sedi reverentiam supplici mente pollicitus est, & omnia, quæ viderat, suis explicavit. En novum Pontificiæ astutiæ experimentum, vel potius cōmentum, quod ut credam, etiam si Suada suadeat, tantùm abest, ut potius de industria confictum, (câ forsan arte, qua Numa secretum colloquium cum Dea Egeria simulavit, fornice eburneo emissum, & à gente, domesticarum laudum ambitiosa jactatum,) arbitrer à Papicolis, quorum opificium perpetuum est, mira & ridicula quandoque miracula crepare. Istiusmodi glaucomate Armenia effascinata, se post elapsas aliquot annorum decades, suâsu Cyrilli Carmelitæ c Græcis, denuò Lucii III. Papæ tutelæ unâ cum omnibus Episcopis tradidit (c)

G 3

CA-

(a) Baron. ad ann. 1016. (b) id. ad ann. 1145. §. 23. sub Eugenio 3. ex Roger. annal. (c) Centur. 12. Magdeb. cap. 7. pag. 1086. ex Paleonydoro Chronic. 3. conf. Balaam Scriptor. Britann. cap. 94. in Appendice.



## CAPUT QUARTUM.

**I.** Proponitur recentior status Ecclesie Armenicae. Sedes Archiepiscopales. Ordinatio Metropolitanorum. Inspectio eorum quousque se extendat. Reditus eorum olim largi, hodie valde imminuti. Vitia Sacerdotum Armeniorum enormia. Monachi quo tempore in Armenia introducti, diversa recensentur sententia. Animadversio Baronii in Sozomenum. Balsamonis canon de constitutione Clericorum. Sacerdotum cincinni. **II.** Armenii dispersi sunt in Oriente & Septentrione. Habent peculiare Privilegium à Turcorum Imperatore. Tempia & Monasteria Armeniorum in Persia. Nonnulla de eorum statu Politico. **III.** Ingeniositas Armeniorum laudata. Texturam illi & mercaturam studiosè exercent. Tributum ab iis Turcico Imperatori offerri consuetum. De Conjugio illorum. Solennia nuptiarum.

### §. I.

**H**Atenus in antiqua Armenicæ Ecclesiæ facie delineanda penicillus noster occupatus fuit; qui recentior ejus siet status, nunc curto gyro coarctabimus, in eandem massam tres hierarchias conferruminaturi. De Ecclesiastico statu è prælibatis præcedenti capite §. III. non nihil innotuisse potuit. Duos nimirum, postquam à cœtu Græcorum ante Photii adhuc tempora, segreges facti sunt, Patriarchas habent Armenii; alterum in superiori Armenia, in inferiori alterum. Prior sub se tenet CLM. familiarum, & rem suam gerit in valle Ecmeazim, propè civitatem Ervan, seu Erevan, (a) quò propter bellum inter Persas & Turcas agitatum, è Sebastia Metropoli, ubi olim Archiepiscopatus erat, sedem collocavit. Posterior, cui sedem Melitene quondam præbebat, XXM. fami.

(a) Vid. Franciscus Rivola in Dictionar. Armeno-Latin. Parisiis Anno 1633. Impress.



familiis præest, nunc in civitate Sis, Tarso proximè adja-  
cente degit. Jurisdictionem hujus ab illo Euphratis inter-  
stitium determinat. (a) Ad Patriarchatum qui eligitur, cer-  
ti ArchiEpiscopi cujusdam consensu, cæteris ætate, pru-  
dentiâ & sanctimoniâ vitæ præluceat oportet, (*longâ n. debet  
vitâ suam probatione monstrare, cui gubernacula Ecclesiæ comit-  
tuntur, ceu Canonistæ docent*) (b) qualis constitutio, ut an-  
te allegato capite §. dicto monuimus, citra scandalum im-  
mutari nequit. Notorium est ex Historiâ Ecclesiasticâ mo-  
nimentis, quòd statim Basilii tempore, ubi Ecclesia hæc li-  
berius respirare cœperat, seditio orta fuerit ex cujusdam  
Episcopi ordinatione, ab Anthimo, suffragiis eorum post-  
habitis, quorum auctoritas in hoc passu multum ponde-  
ris habebat, promoti. (c) Reditus olim amplissimos col-  
ligebat, quolibet unum Madain, (quæ monetæ species  
nummos XVI. secundùm nostrarum regionum monetam  
exæquat,) & quacunq; domo unum coronatum persol-  
vente. Ex quo autem illi Turcus pretium hoc subtra-  
xit, ex Eleemosynis se, familiam verò suam è multis, qua-  
les irrogare solet delinquentibus, sustentat. (d) Omnes  
Episcopi, Sacerdotes & Monachi, summâ cum veneratio-  
ne Patriarchæ parent. Vitiorum characteres, quibus  
Armeniorum Clericos quondam loquax fama signavit,  
præcipui sunt: I. quòd cum aliorum dispendio, fœnera-  
tores pessimi, censum suum auxerint: II. Simoniam exer-  
cuerint, ac III. in necromantiæ contubernio, & IV. in Pa-  
læstrâ Bacchi locum non-postremum tenuerint, (e) Con-

tra

(a) *Brerevod. l. d. Geslin. Cosmographia Sacra Gallicâ cap. 3.  
part. 1. p. m. 15. conf. Johann. Henric. Ursini Histor. und Theolog. Be-  
richt von Unterscheid der Religionen pag. 61. (b) cap. in sacerdotibus  
2. dist. 61. (c) Vid. Centur. Magdeburg. 4. cap. 8. pag. 601. (d) Geslin.  
loc. citat. p. 16. (e) Joan. Boëm. Auban. de Gent. ritib. l. 2.*



tra canones Sacerdotibus præscriptos. (a) De Origine Monachorum in Armenia difficilis est quæstio. Socrates, qui pedarium in suam sententiam Sozomenum habet, auctorem vitæ cœnobiticæ facit Eusthatium, Sebastia Episcopum, qui ob absurdas & Ecclesiæ legibus contrariantes formulas, in Gangrensi Synodo Paphlagoniæ condemnatus legitur. (b) Laboriosissimus Annalium Sacrorum conditor Baronius (c) *παράλογα* in inscriptione nominis commissum, & pro Eutacto Eustathium fuisse scriptum, conijcit. Eutactus enim non modò Monasticam vitam, sed & alios errores in Armeniam introduxit, qui in dicta Gangrensi Synodo anathemate notati sunt. Si mihi quæ sit sententia mentis edisserendum, honorem Monastici ordinis in Armenia, Paphlagonia & adjacentibus Provinciis, Basilio deferendum putaverim, tantisper, donec aliud quis rationibus evincat. Ille enim ipse ad Neo-Cæsarienses scripsit, se accusari, *quòd homines habeat Monachos, pietatis studiosos, qui mundo renuntiârunt, & universis seculi istius curis.* Et nonnullis interjectis addit: *Ego veram omnem vitam meam impenderem, ut mihi possent ista debita impingi, haberemq; apud me viros, qui me Doctore hoc pietatis studium, amplexi hætenus fuerint.* (d) In Constitutione Clericorum genus & familiam Sacerdotalem quondam valdè respiciebant, Judæos imitantes, quibus è sola tribu Levi, eligere Sacerdotes, mandatum erat. Nonnullos etiam ex illis, qui Cantorum Lectorumve munere in templo fungebantur, tondebant, idcirco suo tempore Patriarcha Græcus Balsamon hunc illis canonem præscribens, decrevit:

ὡς τε

(a) I. c. Episcopus 1. Dist. 47. II. c. *Quicumque* 1. qv. 1. III. Martin. Del Rio *Disquisit. Magic. lib. 5. sect. XVI. fuse pag. 757. seqq. IV. c. 14. X. de Vit. & honestat. Cleric.* (b) lib. 3. cap. 14. (c) Baron. Tom. 3. ad Ann. 368. (d) Epist. 63. Baron. ad Ann. 361. §. 49. 50. 51. conf. Ruffin. lib. 2. cap. 9.



ὥστε ἀπὸ τῆς νῦν μὴ ἐξεῖναι τοῖς εἰς κλήρον Βυλομύοις προάγειν πι-  
 ραίς, εἰς τὸ γένθ' ἀποβλέπειν τῆς προχειζομένης. Ἀλλὰ δοκι-  
 μάζοντες, εἰ ἀξιοὶ εἶεν καὶ τῆς τεθέντας ἐν τοῖς ἱερέσι κανόσιν ὄρεσι, ἐν  
 κλήρω καταλεγῆναι; τήτοις ἐκκλησιαστικῶς προχειρίζε. Ἰ. εἴτε, καὶ  
 ἐκ προγόνων ἱερέων, εἴτε καὶ μὴ. *Ut deinceps non liceat iis, qui  
 volunt aliquos ad Clerum adducere, ad eius, cui manus imponi-  
 tur, genus respicere, sed examinantes, an digni sint, expositis in  
 sacris canonibus decretis eos, in Cleri catalogum referre, Ecclesia-  
 sticè promoverè, sive sint ex majoribus suis, sive non.* (a) Ibi-  
 dem quoque omnes in Clericorum ordinem adscriptos,  
*tonsura uti Sacerdotali jubet, ut & benedictionem à suo Pastore  
 canonicè suscipere, si velint Sacras Scripturas explicare vel re-  
 citare.* Non ἀπροσδιονόσως intercalamus, Armeniorum  
 & Lydorum Sacerdotes hâc ætate cincinnis seu coby-  
 lis, (qui Armenico idiomate  $\Psi\omega\rho\upsilon$ , dicuntur, vid. Rivola  
 Lex. Armen p. 35) i. e. plexibus crinium utrinq; in acumen  
 tortis, quos Juvenalis cornua vocat, uti & delectari (b)

II. Cæterum Armenii Christiani per Septentrio-  
 nem & Orientem maximè diffusi sunt abundant illis dua-  
 rum Armeniarum Provinciæ, Cilicia, Bythinia, Soria,  
 Mesopotamia & Corycus, ubi R. Benjamin Tudelensis,  
 quem Abraham Zacouthus *magnum illud luminare, cujus  
 Sol toti Israeli exortus est*, nuncupat, initium illius Christia-  
 norum ditionis collocat, (c) in suis  $\tau\omicron\upsilon\epsilon\upsilon\sigma\omicron$ , seu peregri-  
 nationibus. Plures in Turcico Imperio reperiuntur, spe-  
 ciali præ reliquis nationibus privilegio gaudentes, ipsius  
 Muhammedis manu subscripto, licet in puncto religio-  
 nis ab eo dissentiant. Nulla ex illis Turcico Imperatori dan-  
 tur mancipia, cujus unica causa est vaticinium cujusdam

H

Arme.

(a) In Synodo 6. in Trullo Canone 33. (b) Camerar. Hor. Subcisiv.  
 part. 1. pag. 435. confer. Rangonis de Capillamentis lib singular. cap. 8 mem-  
 bro 7. pag. 177. (c) in Itinerar. juxta edit. Constant. L' Empereur pag 30.



Armenii, qui Muhammedis gloriam per universum orbem propagandam esse prædixit. (a) Pars eorum in Polonia, Lithvania, Tataria, & Scythia, (b) degit, quin & Indiã, unde, teste Nauclero (c) ad Synodum Florentinam suos Oratores ablegarunt. Plurimos Persia tenet, cujus populi jam olim magnam consuetudinem cum illis habuerunt, (d) Sozomeno observante, (e) cui ὁμόκλητος est αὐτόπλης Olearius, (f) qui Armenii etiam Episcopi splendorem, quem Holfatiæ Legatis conspiciendum præbuit, (g) & Templum in Isphahan Sophi regiã, memorat, (h) addens: ei Legatorum intercessione in Schamachia Monasterium exædificandi concessum fuisse. (i) Alibi verò Episcopum narrantem introducit, non procul ab Ardebil Armenios habere Cœnobium, in quo quadringenti Monachi essent, nec illos adeò à Persarum Rege contributionibus gravari, atque à Turcis, qui haut ita pridem quingentos supra mille Christianos hinc deduxissent. Adjecit insuper nonnulla de latitudine suæ Ecclesiæ, quòd videlicet inter duo flumina Kür & Aras, in convallibus haberent mille pagos, circa oppidum Caswin & Tauris plures quàm ducentas domos, & quingenta templa. (k) Cum itaque per totam fermè terram dispersi sint, certam & numeris omnibus absolutam Armeniorum Politicæ formam delineare, nobis integrum non est: certò tamen constat, quòd quilibet illorum locorum in quibus habitant, tributum, superiorum jussu, ad quos defertur postea, Præfectis expendere cogantur.

### III. Sta-

- (a) Chalcocondylas lib. 3. rerum Turcic. Reinecc. Hoorubek. Summi. Controvers. pag. 967. (b) Vid. Geslini Cosmograph Sacram. cap. 3. part. 1. (c) Chronic. adde Severini Bini Tom. 4. Concil. General. pag. 493. seqq. (d) Baron. ad annum 325. §. 2.2. (e) lib. 2. cap. 7. (f) Passim in Itinerar. (g) pag. 296. parte 2. (h) pag. 392. (i) pag. 297. (k) Part. 2. p. 322.



III. Status Oeconomicus in tanta locorum distantia explicatu difficillimus est; communiter ingeniositatis elogiô insigniuntur, unde si hîc σοχάζειν γέμιστον, hâc vel illâ arte eos rudes non facilè pronunciauerim. Multùm texturæ dediti sunt, in qua tam artificiosè laborant, ut magnam apud exteros laudem mereantur. Peristromata illorum, versicolori pictura egregiè superbientia, Europa æstimat & miratur; monstrant his, se probè polymitariam artem, seu ποικιλπκην callere. Tanta enim elegantiâ figurarum undique cernitur, ut parum concedant Indis Occidentalibus, Columbinæ incolis, qui Cortesio (a) teste, in plumaria ad miraculum usq; excellunt. Mercaturis vix sanè ab ullis in Oriente populis superantur, & earum gratia in florentissimis Muhammedicæ sedis civitatibus, Bursiâ, Angerâ, Trebisondâ, Alexandriâ, Cairo, Bizantio & Caffa negotiantur, singuli quotannis Imperatori ducatum persolventes. Opulentissimi in Persia esse Christiani Armenii censentur: ubi filias suas amabili formæ nitore commendabiles, multùm adhuc iuvenes desponsant, cum Rex domos in Isphahan frequenter inviscere, & formosissimas intra duodecimum ætatis annum Gynæceo includere soleat. Permittebant quondam Episcopi viro, adulteram repudiare, aliamq; ducere uxorem. (b) Ritus & solennia nuptiarum adjicere præfens pagina jubet; ipsius igitur αὐτόπτη verbis in Lectoris gratiam ea sisto. In dem ich sahe / daß die Armenier in der Vorstad vor Isphahan in Persien einen Bräutigam zur Kirchen fuhreten / bin ich nachgegangen und solche Ceremonien mit angesehen. Es wurden Heerpauken und Messinge Cymbeln vorher gespielet / denen folgete ein Knabe / mit brennendem Wachslight / darauf kam der Bräutigam in

§ 2

schö =

(a) lib. 2. citante Nicol. Fullero Miscellan. Sacr. l. 1. c. 20. pag. 131.

(b) Aubanus libro de Gent. ritib. sæpiùs citato.



schönen bunten Kleidern zwischen Zween auch köstlich  
 angekleideten Personen geritten / denen Zwey andere folg-  
 geten. Hinter her wurden etliche Schüsseln voll Essen /  
 und zween Krüge mit Wein / auch zwo grosse Schüsseln  
 mit Aepfeln getragen. Als sie in die Kirche kamen / setzte  
 sich der Bräutigam mit seinen Gästen. Ihnen wurden  
 die Essen und Früchte vorgesetzt / davon die Gäste ein  
 wenig / der Bräutigam aber gar nichts genoss. Es soll  
 dem Priester hernach zum Opfer werden. In dem kam die  
 Braut verkappt / zwischen einem auch verkapten Mägds-  
 lein und Frauen / über die beyden angehenden Eheleute  
 wurde vom Priester vorm Altar gar lange gelesen und der  
 Segen gesprochen. Denn mussten sie einander die Hände  
 geben und die Köpfe an einander halten / doch so / daß des  
 Mannes Kopf höher stunde. Über beyde ward ein höl-  
 zern Kreuz gehalten und sie also unterm Kreutze copuliret.  
 In solcher Positur mussten sie schweren / daß sie in allem  
 Kreutze einander wolten getreu sein / hernach gab Ih-  
 nen der Priester das Heilige Abendmahl / und reichte jes-  
 dem ein Stück von der gesegneten Hosti im gesegnetem  
 Wein eingetaucht. Leglich ward Braut und Bräuti-  
 gam mit Rosen- Wasser besprenget / und der Braut ein  
 Flor um die rechte Hand gewunden / an welchem der Bräu-  
 tigung sie hinter sich her zur Kirchen heraus zog. (a) Hæc  
 est scena copulationis *εἰς συνόψιν* repræsentata, de qua  
 quivis quomodo cum Europæorum Nuptialibus ceremo-  
 niis conveniat, judicare poterit. Alia hîc emulare su-  
 perfedeo, ad ea accinctus, quæ expediunda supersunt in  
 sequentibus.

## CAPUT QUINTUM.

*I. De Theologia Armeniorum. Fundamentum religionis Christia-  
 nae Scriptura magni ab illis æstimatur: legunt eam in ver-  
 naculo idiomate, quod ab antiquo differt. Translator Biblio-  
 rum in Armenicam linguam Chrysostomus creditur. Versio  
 ista celebris est, & in Europa etiam habetur. Frustra Ar-  
 menios*

(a) Olear. lib. 4. Itinerar. cap. 40.



menios ob translationē Cantionum Satrar. in suam linguam  
 Gretserus sugillat. II. Multi illis & magni errores tribuun-  
 tur gratis. Quare Græcis suspecti fuerint. Pontificiorum im-  
 pudentia dignè à Græcis excepta. Blasphemia in Articulo  
 de Deo Armeniis imposita. Alphonsus de Castro mitiùs de il-  
 lis iudicat. III. à Tetradistarum hæresi absoluntur recen-  
 tiores. IV. Errores de Christo adducti. Unde Armenii Phthar-  
 tolatræ dicuntur? Genebrardus eos purgat à Monophysitarum  
 sordibus. De Gnaphæo ejusq; dogmatibus. Armeniorum  
 mutabilitas & inconstantia notatur. Theopaschitarum  
 Affines fuisse, vult Nicephorus. Hodie puriores in religione  
 sunt. V. De famigeratissima controversia inter Græcos agi-  
 tata; de Processione Spiritus Sancti à Patre & Filio. VI.  
 Protoplastorum peccatum, quantum ex nonnullorum sen-  
 tentia posteris nocuerit. Armenii leguntur putasse, omne  
 peccatum ex tentationibus Sathanae oriri. Pelagianorum  
 & Romanensium error in capite de libero arbitrio explosus.  
 Quæ recentiorum Armeniorum de eo sententia. VII. Sacra-  
 mentum Cænae Dominicæ sub utraque specie servant, unde  
 à Bartholdo Nihusio traducuntur. Ritus in celebratione S.  
 Cænae. Hydroparastasin negligunt; Balsamon & Arcudius  
 eos corrigere satagunt. Duos adhibent Calices. Liber Pe-  
 tri Pauli Armenico idiomate constans, valdè suspectus, to-  
 tusq; ad mentem Papise quarum formatus. Tribuit illis fi-  
 gmentum Transsubstantiationis. IIX. De Baptismo Arme-  
 niorum, ejusque ceremoniis. Apud nonnullas gentes inna-  
 tum fætorem Baptismus tollere creditur. Mirabile exem-  
 plum de Tartarico Chami filiolo. IX. Quid de communionē  
 Pontificiorum & Armeniorum statuendum. X. Papam Ro-  
 manum rejiciunt, ejusque Calendarium. Jesuitæ Lesmorei  
 & Leonis Allatii vana gloria de reverentiâ, Papa à Græcis  
 exhibita. XI. Purgatorium & preces pro mortuis igno-



vant. Ritus nonnulli in Ecclesiis Armenicis observati adducuntur. Veneratio crucis. XII. Festa Armeniorum solennia quæ, & quo tempore celebrentur. XIII. Non servant vigiliis & aliorum statim tempora jejuniorum, sed peculiaria habent. Celebre est jejunium, quod ARZEIBURZI nuncupant. XIV. De Georgianorum inveteratis odiis erga Armenios. XV. Conveniunt Armenii in aliquibus cum Judæis. XVI. Errores de futuro seculo & vita æterna. In quo beatitudo consistat, & quando inchoetur, diversa tam veterum quam recentiorum Doctõrum assertiones.

## DE ARTICULIS FIDEI.

### I. DE SACRA SCRIPTURA.

#### §. I.

**E**Xplicata hucusque dedimus, quæ secundum singula trium ordinum, à Deo institutorum momenta, Armenia observata digna exhibet. Jam Theologiam hujus gentis perscrutari tempus est. Nemo autem eam facile penetrabit, nisi de certo aliquo ejus principio constet; cui tanquam fundamento reliqua doctrinæ velut epistylia innituntur. Religio, quæ juxta Romani decus e-logii, Ciceronem, (a) Superioris cujusdam nature, quam divinam vocant, curam ceremoniamque affert, gentilibus tantæ estimabatur, ut nec ipsi Imperatores se DIs immortalibus velato capite, verbis certis, pro Republica devovere subterfugerent. (b) Quânto putas, majorem ejusdem haberi rationem ab his, quibus Apostoli divini verbi regulam tradiderunt? Platonis, Philosophorum Homeri effatum: *Omne principium esse & censei divinum*, si ullibi locum habet, certè in negotio de Sacra Scriptura sedem sibi principem

vin-

(a) Lib. II. de invent. §. 36. pag. 174. F. Tom. I. (b) II. de Nat. Deor. T. 4. p. 298. conf. Liv. 8. 1. Flor. 24. 22. Val. Max. Libro 5. cap. 6.



vindicat. Hæc enim *πεμφθεῖσα τῶν τῶν θεῶν* campis ani-  
 morum vitalis doctrinæ immittit rivos, & unicum ac divi-  
 num veræ religionis est principium, libris Prophetis &  
 Apostolicis, ministerio hominum *ὑπὸ πνεύματι ἁγίῳ φε-  
 ρομένων*, comprehensum. In hoc uti alii Christiani omnes,  
 ita quoque Armenii tanquam in quadrato lapide suæ fidei  
 structuram collocârunt. Scripturam in lingua vernacu-  
 la, æquæ ac Russi, Moscovitæ, Moldavi, aliæque gentes  
 Bizantino Patriarchæ subiectæ, cum Africanis Ecclesiis  
 ex veteri constitutione à multis retrò seculis evolvunt.  
 (a) Testatur enim Cornelius Agrippa, (b) Nicææ in Con-  
 cilio, cui CCCXII. Patres Orthodoxi interfuerunt, de-  
 cretum fuisse, ut quilibet in sua vernacula Scripturas le-  
 gat. Abhinc Armenii illas in proprio suo & vulgari ha-  
 buerunt Idiomate, quod tamen hodiè non parum à pristi-  
 no creditur diversum. Et quanquam non penitus fortè  
 omnia capiant, capita tamen Catechetica tam probè  
 nôrunt etiam plebeji, ut de articulis doctrinæ fidei prom-  
 tè cuilibet rationem reddere possint. (c) Laudem trans-  
 lationis Bibliorum in linguam Armenicam Chrysoftomo  
 deberi, viri docti asserunt; (d) quamvis Sixtus Senensis  
 (e) Novi saltem Testamenti & Psalmorum versionem illi  
 tribuat. Tradunt autem, quòd Chrysoftomus in Arme-  
 niam relegatus arduum hoc opus suscepit, & absolve-  
 rit. Quam etiam sententiam Theodoretus, (f) Chryso-  
 stomo posterior, (floruit enim circa annum 440.) quo-  
 dammodo confirmare videtur, quando Armenicam Bibli-

orum

(a) *Harding. artic. 3. sect. 38. B. D. Gerhard. L. de Eccles. pag. 394.*  
 (b) *de Vanit. Scient. cap. 100. (c) Ursin. Unterscheid der Religionen.*  
*pag. 63. (d) Hottinger Disputat. Theol. Phil. 3. p. 185. Walton. Prolegom.*  
*in Biblia pag. 95. (e) Bibliothec. Sanct. lib. 6. annot. 152. pag. 491. confer.*  
*Wilhelm. Whitaker. contra Pontificios quest. 11. Controvers. 1. (f) de Cu-*  
*rand, Græcor. affectib. lib. 5. add. Sozomen. lib. 8. cap. 22.*



orum versionem jam ante sua tempora fuisse adornatam innuit. Disertè verò hoc Angelus Rocha (a) edisserit, prætereaque eundem Chrysostrum characterum, qui apud Armenios nunc in usu sunt, auctorem haberi scribit. Nobis sufficit, Armenios pretiosissimum divini verbi κειμήλιον non solum possidere, sed & magnificere, & ex eodem beneficio interpretationum Chrysostrum, Gregorii Nazianzeni, aliorumque, se in salvificâ fide exædificare. (b) Versio autem ista Bibliorum Armenica à variis interpretibus commendatur, & in aliquot Europæ locis hodiè reperitur. Meminit ΓουμάσιⓄ antiquitatis venator, Athanasius Kircherus, (c) completum hujusmodi exemplar in Bibliotheca Vaticana aservari; quatuor Evangelia passim inter eruditos versari, & Psalterii tria antiqua exemplaria Oxoniæ inveniri, Celeberrimus Hottingerus observat. (d) Non omittendum heic loci illustre pietatis Christianæ ac Zeli argumentum, quo ducti Armenii sibimet ipsis in vernaculam linguam Psalmos, literas & cantiones, quibus in Sacris conventibus utuntur, augendi cultus in Deum transtulerunt. Indignabundus propterea fidus Bellarmini Ἐδρασιγῆς, Gretserus, (e) eos in-clamat, & læpiam plenis plaustris effundit. Ne verò absque causa irasci videatur, pro opinione sua (quod nempe malè egerint Armenii) nescio quem Græculum, (ipse namque nomen ejus ignorat, & manuscriptum se in quodam codice Bibliothecæ Bavaricæ reperisse tradit) allegat ita scribentem: ΒασιλεύονⓄ Ρώμαίων Θεοδοσίς, & Πέτρων Βραμσαπῆ μὴ εὐρεσκομῶν πινῶν ἐν Ἀρμενίᾳ λαλιὰν Ρώμαι-

(a) Bibliothec. Vaticana. pag. 157. Edoard. Brevevod. Scrutin. Relig. cap. 17. pag. 205. è Brocardi description. Terræ Sanct. & Micchov. Sarmat. lib. 2. cap. 1. (b) Geslin lib. dict. cap. 4. part. 1. pag. 19. (c) Prodrom. Coptic. Vatic. cap. 5. pag. 129. (d) Smegmat. Oriental. lib. III. part. 1. & loc. sup. cit. (e) Controv. Bellarm. cap. 16. lib. II. Tom. 1. pag. 881.



Ρωμαϊκὴν, ἢ γραμματα εἰδεῖαι, αἰέτησαν πνὲς, ὡς τὴν διατύ-  
πωσιν τῶν μεγάλων Γρηγορίων, καὶ μετεσκεύασαν ἑαυτοῖς Ἀρμενιστὶ  
ψαλμωδίας καὶ γραμματα, καὶ μελίσματα: ὅπερ μαρτυρῶν Θεοδοσίος  
ὁ Βασιλεὺς, ὠργίσθη Ἀρμενίοις διὰ τὴν παράβασιν τῶν τῶν ἁγίων Γρη-  
γορίων Θεοδοσίων. *Imperante Theodosio, & regnante apud  
Persas Bramsaro, cum nulli in Armenia reperirentur, qui Roma-  
nam (hoc est Græcam, hanc enim intelligit auctor, quia  
Imperatores Constantinopolitani se Romanos Imperato-  
res nominabant, quibus ipsa Constantinopolis nova erat  
Roma, & subditi, Romani.) linguam perspectam haberent,  
extiterunt nonnulli, qui contra formam à M. Gregorio prescri-  
ptam, sibi met ipsis Armenicâ linguâ Psalmos & literas, & can-  
tiones transtulerunt. Quod audiens Theodosius Imperator, val-  
dè succensuit Armeniis, eò quòd traditionem à S. Gregorio acce-  
ptam violassent. Non mirum verò, cur Jesuita tantoperè  
excandescat, & sacra peragi vernaculâ linguâ molestè  
ferat, quoniam sic ipsorum Pontificiorum fraudes, quas  
linguâ velare peregrinâ solent, in Solis, quod dicitur,  
mensâ exponuntur. Valeant igitur Institores meretri-  
cis Babylonicæ scituli, & nānias istas suas ingeminent,  
convicti & vincti dudum magni gentium Doctoris, Pauli  
verbis, quibus docet, Deum æquè in hac coli posse lin-  
gua, atque in alia: Ἡ Ἰσραηλιῶν, inquit, ὁ Θεὸς μόνον; ἔχει  
δὲ καὶ ἑθνῶν, καὶ καὶ ἑθνῶν, Rom. III. 29. An Judæorum Deus  
tantum? an non & gentilium? certè & gentilium. Ad quæ  
Balsamon commentatur: Qui igitur rectè de fide sentiunt  
etsi sint Lingua Græca omninò expertes, propriâ dialecto Sacra  
conficiunt exemplaria à consuetarum sacrarum precum formâ non  
evariantia, ut desumpta ex Contaciiis Græcanicis literis eleganter  
descriptis. Cæterùm utut Armenii, si fides habenda Ni-  
coni apud Balsamonem est, historiam de adulterâ Joh. IIX.  
4. & seqq. in versione sua non agnoscant: hautquaquam*



tamen propterea accuſandi videntur, quaſi articulum de  
Sacra Scriptione non incorruptum teneant; ſiquidem fieri  
potuit, ut auctor verſionis Armenicæ tali exemplo Græ-  
co, unde eam adornavit, uſus fuerit, in qua hiſtoria fuit  
deſiderata, ſicuti etiam illa ipſa in multis exemplis verſio-  
nis Syriacæ non deprehenditur. Favet noſtræ conjecturæ,  
quòd (ut Hieronymum alioſq; veteres taceamus, qui iti-  
dem teſtantur, quòd jam tum ſuo tempore illa ipſa hiſto-  
ria in quibusdam exemplaribus non fuerit lecta) Chryſo-  
ſtomus, atque hic verſionis Armenicæ creditur auctor,  
eam in ſuis homiliis ſuper Johannem non agnoſcat. Un-  
de etiam Alphoſus de Caſtro, (a) perpetuus Gvidonis  
compilator, qui omnes hæreſes enumerat, & Armeniis  
neutiquam parcit, in loco de Scriptura S. plane nullam  
eorum, quòd nempe in hoc articulo errent, mentionem  
injicit, cum tamen Albanenſes, illis maximè vicinos, hoc  
nomine perſtringat.

## DE DEO.

II. Quod ad reliquos pertinet fidei articulos, fanè  
multa ἀπίστα ἔ ἀπίμωνα Armenii ſtatuerè dicuntur,  
quorum tamen quædam præter jus ac æquitatem impoſita  
illis fuiſſe, ipſe Genebrardus, Pariſienſis Theologus, te-  
ſtatur: (b) quando hoc Augiæ ſtabulum à nonnullis for-  
dibus ſe repurgaturum ſcribit. Quo verò motus ad hoc  
argumento ſit, non fortassis præter rem cum Hoornbe-  
kio (c) quiſpiam quæſiverit. Non equidem diſſimulan-  
dum eſt, Græcis illos admodum ſuſpectos fuiſſe, ob erro-  
res, quibus ab diverſis Sectis imbuti fuerunt, indeque pes-  
ſimorum hominum loco habitos: Sed fatendum tamen,  
quòd plura ὀρθοδοξίας monumenta in illis ſuperſint, ut du-  
riſſimi eorum maſtyges, Papicolæ, liberè confitentur. Nec  
tamen

(a) l. 1. Hæreſ. 1. fol. 265. (b) l. 4. Chronogr. p. m. 629. (c) Summa Controv. p. 967.



tamen hos ipsos pudet, antiqua interpolare, integra obtruncare, & incompta, neque cum Armeniis communia, minio quodam superinducere, vel iis etiam affricare, quæ iniquitas dolosa cordatis meritò stomachum movet. Inveniuntur quidam Romanæ curiæ addicti, omnes in genere Græcos damnantes, quorum Echo alto sono Latinos Saracenis pejores exclamat. Vid. Magnific. Dn. D. Calovius, Patronus & Promotor meus omni honoris cultu & observantiâ ætatem devenerandus in Oratione de Græcorum religione moderna p. 12. 13. Ubi in hanc rem *Heinsium*, *Costerū*, *Prateolum* & *Gennadium* adducit. Sunt etiam qui per Rom. Ecclesiæ desertionem, defectum à Christi doctrina invecum in Armeniis calumniantur, de quibus forsitan non invitâ æquitate, paucis saltem mutatis dici potest, quod de Arianis sanctissimus Massiliensium presbyter Salvianus eloquitur: *Heretici sunt, dicunt illi, (Pontificii) sed non scientes, denique apud illos sunt heretici, apud se non sunt; nam in tantum se Catholicos esse judicant, ut hos (Pontificios) titulo hereticæ pravitatis infament. Quod ergò illi istis sunt, hoc isti illis. Et paulò post: Errant ergò, sed bono animo errant; non odio, sed affectu Dei; honorare se Dominum atque amare credentes, quamvis non habeant rectam fidem, (in omnibus) illi tamen hoc perfectam Dei æstimant caritatem; & qualiter pro hoc ipso falsa opinionis errore in die Judicii puniendi sunt, nemo potest, scire nisi Judex. Interim idcirco eis, ut reor, patientiam Deus commodat, quia videt eos, etsi non rectè credere, affectu tamen pia opinionis errare. Inter omnia, quæ illis Guido affingit, horribilissimum est dogma, sive potiùs inaudita blasphemia, Deum esse mendacem: quod quidem illi prædicatum ex historia Caini desumere dicuntur: Siquidem licet dixerit Deus, Cainum neminem debere interficere, ipse tamen violentum αὐτοχρησίας crimen commiserit, ut aded ex hoc*



*Deus falsitatis arguendus videatur.* Verum relicto Veterum Academicorum more, quibus suam sententiam occultare solenne erat, (a) si mihi quæ sedeat mens, proferendū sit, parum certè abest, quin impudentissimi Scriptoris ἄνωτον ψῶδⓄ esse judicem: κακῶν κόρακⓄ κακὸν ὄν. Cui quæso tam exsensū peccatus est, ut tantam infaniã in homines verbi divini amantissimos cadere posse existimet, quibus Sacra Scriptura de Dei veracitate perfectissima vel sexcenta Oracula uno actu propinat? Quare Alphonsus de Castro aliquanto modestior (b) Guidonis sententiæ lituram quasi induxit, scribens: *Se hoc vix credere posse, cum Scripturam non rejiciant.* Nec dicit quoque, Cainum se ipsum occidisse, nec quicquam de illius morte meminit, ut alios, eosque antiquiores, qui in Armeniorum errores alioquin diligenter inquisiverunt (c) præteream, qui planè nihil in capite de Deo, in se spectato, taxant.

## DE SS. TRINITATE.

III. Gravissimam autem censuram meretur hypothesis, quæ vetustissimis Armeniis hæsisse fertur, quaternitatem in divinis Personis introducens, & ex Filio duas personas, juxta dualitatem naturarum fabricans, unde *Tetradistas* & *Tetraditas* nuncupatos fuisse, B. D. Pappus (d) recitat. Suane culpâ an aliorum calumniâ, obscurum est. De recentioribus fanè longè aliter sentire nos jubet Armenii cujusdam Patriarchæ confessio, deprompta ex epistola Europæi Theologi, (D. Stephani Gerlachii) data ex

CON-

(a) Cic. in Fragmentis. Tom 4. pag. 690. ex D. Augustin. lib. 3. Contra Academ. (b) lib. 5. Heres. 7. fol. 120. (c) videantur Balsamon. Nicon. Lambert. Danæus in Augustin. de hæres. cap. 93. pag. m. 233. confer. nuperissime edit. Summ. Controvers. Hoornbek. pag. cit. (d) in Epitome Hist. Ecclesiast. pag. 345. add. Nicephorus Callist. 9. lib. 18. H. E. C. 54.



Constantinopoli, anno Christi cIo Io LXXVI. d. IV. Augusti (a) qui cum Patriarcha de erroribus, quorum vulgò à Græcis insimularentur, conferens, satis intellexit, Armenios de Processione in divinis, quam (b) *ԲԻՈՒԼՆԵ յՍԼԻ ԼԻԷՍԻՆԵ* vocant credere, Unum Deum, & tres personas ejusdem naturæ, essentiæ, potentiæ, & coæternas. Christum esse Dei Filium *μονογενῆ*, sive ab æterno à Patre genitum, qui *ἐν πληρώματι τῆς χάριτος*, Gal. IV. 4. ex Maria Virgine humanam carnem assumerit, Deum v. Spiritum Sanctum à Patre & Filio procedere. Cui confessioni externæ, si interna cordis respondet, *γνησίως* Catholicæ doctrinæ testimonium denegari nequit, cùm eleganter cum Nicæno consonet Symbolo, quidquid etiam Pontificii buccones murmurent.

## DE PERSONA CHRISTI.

IV. Fœdæ & profundæ hæresium eluviei in cap. de Christo immerfos olim Armenios fuisse, Nicephorus Callistus (sublestæ aliàs fidei Historicus) refert. (c) Sub tempus Concilii Chalcedonensis, in quo *Eutychis* & *Dioscori* pestiferum dogma condemnatum est, (d) ductu cujusdam Armenii, *Euchanii Mandacumetis*, (ita vocat Nicephorus, Hooribek. verò in *Summa Controversiarum* lib. II. pag. 967. appellat *Echanium Mandacumetem*,) illud ipsum recepisse dicuntur, cum jam antè Eutychnianæ Sectæ faverent. Tantoperè a. in determinanda, quantū ad hoc, sententiâ Armeni. auctores variant, ut Tiresiâ sit opus, qui suadeat, quid potissimum eligendum & credendum sit. Quidam volunt, quod Armenii negârint, *Christum corpus verè*

I 3

huma-

(a) meminit hujus Hottingerus & ex hoc Dn. Ursin in Relat. de Different. Relig. §. 48. (b) videatur Rivola Lex. Armen. . p. 62. (c) lib. 18. Histor. Eccles. cap. 53. & 54. (d) vid. Magdeb. Cent. 5. pag. 1255. 1260. Baron. ad Annum Christi 449. pag. 73. seqq.



*humanum ex Maria Virgine adsumpsisse, sed corpus illud à primo  
 conceptionis momento fuisse incorruptibile: Unde & illud per  
 se adorârint, ac ita colendum esse sibi persuaserint; ex quo  
 ΦΘΑΡΤΟΛΑΤΡΑΙ it. ΣΚΗΝΟΛΑΤΡΑΙ, ab Orthodoxis deno-  
 minati sunt, quos illi, quò contumelias retunderent, Ma-  
 nichæos & Phantasiastas proclamaverunt. (a) Ad palliandum  
 verò Eutychianum illum errorem, hoc usus eos symbolo  
 esse, Hoornbekius d. l. refert. *Quemadmodum, dicentes,  
 mellis aut aceti gutta in mare mersa non cernitur, nec subsistit,  
 nec suam servat naturam, ita & corpus Christi in divinitatis  
 pelago immersum non amplius suam retinet essentiam.* Atque  
 hinc unam duntaxat divinam naturam, eam tamen pati-  
 bilem & mortalem credidisse leguntur: Et ne de assumpta  
 Christi carne Scripturæ dictis convincerentur, verba ex  
 historia passionis, Lucæ XXII. 44. Εγέρετο δὲ ὁ ἰδεὸς αὐτῶν  
 ὡσεὶ θέρουβος ἀμαλῆς, removisse, indicium quippe huma-  
 næ infirmitatis, non omnipotentiae divinæ. At verò Ge-  
 nebrardus (b) à *Monophysitarum* hæresi illos planè liberat,  
 & Nicetam historicum, (c) atque Theorianum, Manu-  
 lis Imperatoris Legatum ad Armenicum Catholicum er-  
 rores corrigendi causâ, errasse ait, dummodò Armenio-  
 rum Pontificis ad Græcos responsio, quam ipsi afferunt,  
 non sit supposititia. Tota Oratio hoc flumine navigat:  
*Fatebantur Armenii, duas quidem esse naturas in Christo, &  
 unam, sed diversa ratione, uno modo naturam pro parte consti-  
 tuti accipiebant, altero, pro constituto, seu composito. Ut cum  
 apud Aristotelem nunc compositum, nunc partem compositi signifi-  
 care dicitur: Sic in Christo (inquirebant) dua natura sunt, id est,  
 dua partes constituti, Deitas & humanitas, & una natura, id  
 est, unum compositum ex utraque natura, Christus sive Persona.*  
*Afferrebant pro simili hominem, in quo dua natura existunt, cor-  
 pus**

(a) Papp. Hist. Eccl. p. 344. Danæus l. d. (b) p. 609. (c) l. 17, Orthodox.



*pus & anima, & una natura, id est, unum è corpore & anima compositum. Multum ergò aberant à Monophysitarum heresi. Illo artificio (tandem subjicit) sæpè usi sunt (Græci) in Christianos Orientales, ut quos cernerent in sedem Apostolicam propensos, hæreseos infamiâ traducerent, vel etiam, quia præ se alios solent contemnere. Firmum ita me fides! ἀλέξημα à Pontificiis suppeditatum Armeniis. Afferuntur insuper illisque tribuuntur alia opinionum monstra, quæ è Petri Gnaphæi Antiocheni Episcopi, circa Annum Domini 477. damnati, sordibus primum profluxerunt, & admirandum duarum in Christo naturarum mysterium mirè deformatunt. Et profectò, si quidem se rectè habent, quæ apud Euthymium (a) & Niconem legimus, Armenii vix ac ne vix quidem malum nomen effugient. Mutabiles namq; Vertumni, modò cum Arianis communicabant, Christum carnem sine anima assumpsisse nugantes, (b) modò corpus Domini non habere mentem, huius enim vires divinam naturam supplere; (quæ Apollinaris aliàs hæresis erat,) item corpus ejus increatum, subtile & cæleste, adeòque omnis mortis & passionis expers fuisse, Christi q; loco alium captum, trucidatum & resuscitatum esse. Vel, Christum specietenus saltè & Θεωμοδίως passum, quod Simoniani quondam statuebant; quin docuisse Armenios proditur, Christum per virginem tantùm transiisse, nullum verò ex illa assumpsisse corpus. Cæterùm Nicephorus (c) testatur, quòd iidem Armenii à Theopaschitarum hæresi proximè abeant. Rem his modò memoratus auctor effert verbis, dum ita de illis: Crucem non prius honore debito prosequuntur, quàm perinde atque hominem baptizârint. Atque in media ipsa cruce clavum figunt, eumque sanguine vi-*

*timæ*

(a) part. 2. Panopl. tit. 20. conf Prateol. l. 15. p. 399. & Joh. Damasc. lib. 5. cap. 10. (b) conf. Baron. T. 6. ann. §. 153. p. 428. Centur. Magdeb. 7. c. 5. pag. 127. ex Niceph. lib. 18. cap. 53. conf. Centur. 13. cap. 5. pag. 562. (c) d. l.



*Etima*, (puta agni, quem more Judaico Festo Paschatos  
 eos mactare, dictus historicus recenset) *ringunt*. Hoc ve-  
 rò faciunt in Christi nomen, unam S. S. Trinitatis Personam cru-  
 cifixam esse, ostendentes: nec id interim intelligentes, quòd eo  
 modo etiam Patris & Deitatis naturam crucifigant, quæ u-  
 na est & eadem. Pergit: Tres verò cruces connectentes, san-  
 ctam Trinitatem cognominant; eo pacto fortè insinuantes, San-  
 ctam Trinitatem crucifixam esse. Antequam pedem promo-  
 veam, tribus saltem verbis observo, Alphonsum de Ca-  
 stro (a) de allegatis ex Nicephoro hæresibus, nihil con-  
 tra Armenianos monere, ut ut prolixè alios *Gnaphai* & *Ne-*  
*stori* errores enumeret, & de Christi decensu ad inferos  
 dicat, quòd ex Guidonis relatione Armenii putaverint,  
*Christum inferni victorem omnes animas inde eduxisse*. Judi-  
 dicet ex his, qui volet, de veteribus Armeniis; hodiernos  
 longè aliter, rectiusque ad eò sentire, ex adducta Patriar-  
 chæ Armenici confessione clarè perspicitur; quippe ubi  
 in hunc fermè tenorem loquutum accepimus: *Christum*  
*ubique terrarum Ecclesie suæ, eiusque membri secundum divi-*  
*nam & humanam naturam gratiosè præesse*. Quod ipsum et-  
 iam communi de candente ferro petita similitudine expli-  
 cabat. Quemadmodum enim hoc ob communicatum  
 & intimè sibi unitum ignem splendet & urit; sic humana  
 Christi natura ob intimam cum divina *ἁπλοῦς*, omni-  
 um Idiomatum particeps facta est, ut in ea per istam *πάν τὸ*  
*πληρῶς τῆς Θεότητος & σαματικῶς* resideat, Coloss. II. 9.

## DE SPIRITU SANCTO.

V. Spiritum sanctum Patre & Filio minorem esse, ve-  
 teres Armenios existimasse, & ob hanc causam, crucem  
 mediam, per quam Spiritum sanctum designarint, (cum  
 tres cruces conjungerent, in typum S. S. Trinitatis,) paulò  
 mino-

(a) lib. 4. fol. 96.



minorem constituisse, Niconis testimonio prodi solet. Cui dogmati expuncto, vulgare Græcorum assertum, de processione Spiritus Sancti à solo Patre, postea substitutum fuisse, quibusdam credibile est. Communiter autem Græci; dum rimam elabendi non vident, objiciunt, ex Evangelio non posse explicitè probari Spiritus Sancti processionem à Filio, & insuper, nisi ita statuatur, confundi spirationem cum filiatione. Ad prius optimè à Card. Toletò (a) responsum est, *Vanum esse petere ex Scriptura verba formalia, quibus aliqua res comprobetur, quando ex iisdem manifestè ea colligi potest.* Posteriores scrupulum eximit Alphonsus à Castro, (b) monens, *quòd spiratio activa filiationi non opponatur, sed solùm spirationi passiva, qua convenit Spiritui Sancto; proinde cùm dicitur, Spiritum Sanctum procedere à Patre, hoc ita intelligatur, quòd etiam à Filio procedat.* Præterea etiam λευκῶν λόγῳ convelluntur ex Gall. IV. 6. ubi de adoptione credentium Apostolus agens, ἐξαπέστειλεν, inquit, ὁ Θεὸς τὸ Πνεῦμα τῆ ὑμῶν εἰς τὰς καρδίας ὑμῶν. Conf. Joh. XVI. 7. Plerique tamen hodiè ex illis asserunt, *Spiritum Sanctum à Patre procedere, sed per Filium.* Cæterùm Armeniorum, qui hoc seculo vivunt, sententia de processione Spiritus Sancti prorsus Orthodoxa est, quantum quidem in citata epistola demonstratur.

## DE PECCATO, LIBERO ARBITRIO, BONIS OPERIBUS ET JUSTIFICATIONE.

VI. Communis de Armeniis narratio est quòd Peccatū originale, Armenicā dialecto ՄԷՂԲԵՐԵՎԵՐՔԱԿԱՏԻՔԱՅԻ ԴԻՔՄԱԿԱՅԻ dictum, (c) negent. Sciendum tamen, quòd disertè iidem statuunt, *Protoplastorum peccatum toti posteritati ante passionem Christi (d) nocuisse, adeoque omnes tūm fuisse damna-*

K

tos,

(a) annot. 23. ad XV. cap. Joh. (b) heres. 12 f. 127. & 128. l. 5. Brerevod. c. 15. Scrutin. Religion. p. 189. (c) Francis. Rivola. p. 259 (d) vid. B. Gerh. Disp. Isagog. 24. c. 2. §. 17. Alph. de Castro de heres. lib. 12.



tos, propter primorum scilicet Parentum peccatum, etiam si nullum habuerint peccatum. Ubi sanè manifesta contradictio involvitur. Aut enim concedendum est Peccatum Originale, puta *Originatum*; aut falsum est, peccatum originis, *originans* intellige, nocere vel nocuisse mortalibus ante Christi satisfactionem. *Εἰς ἀποργν* illos hinc incidere necessum est, quodcunque etiam ex his elegerint. Arguuntur postea Armenii à Guidone, (a) quòd omne peccatum à Dæmone imediatè, non autem à liberi arbitrii abusu ortum trahere statuunt, & nullum peccatum existere, nisi diabolicis suggestionibus promotum; quod quidem sano sensu intellectum, non absurdum adeò videtur, aut exterminandum omninò: quemadmodum nec dogma, quædam peccata à nullo Sacerdote remitti posse, si ad *peccatum in Spiritum S.* respexerunt, quod in ipsa *Sc. S.* *irremissibile* appellatur. Vid. Matt. XII. 31. Marc. III. 29. Luc. XII. 10. 1. Jo. I. 6. De aliis negatur: alioquin enim periclitaretur potestas, quam Salvator noster Petro, & omnibus eum in ministerio Ecclesiastico sequentibus, dedit his verbis: *Καὶ ὁ εἰς λύσης ὅτι τῆς γῆς, ἔσται δεδεμμένον ἐν τοῖς ἔργοις: καὶ ὁ εἰς λύσης ὅτι τῆς γῆς ἔσται λελυμένον ἐν τοῖς ἔργοις.* Matth. XVI. 19. Conf. cap. XII. 18. Joh. XX. 23. Nihilominus à veritatis calle secedunt, quando de libero arbitrio quæstio instituitur. Largitùs equidem humanam naturam per tragicum Adamì lapsum depravatam esse permittunt, remansisse tamen ex actu isto peccaminoso tantum homini virium, ut vel bonum vel malum operari possit, statuunt. (b) Quod utrum de bonis naturalibus, an v. de spiritualibus intellectum velint, non adeò clarum adhuc est. Si de priori, pollicem illis premimus, in civilibus & externis actionibus libertatem concedentes, licet & hæc ipsa

(a) apud Alphons. lib. de Heres. 6. & 7. fol. 237. (b) Ursin. l. d.



ipsa ob contractam naturæ malitiam & stimulationes Diabolicas nimium quantum debilitata sit, indeque vocetur *Arbitrium claudicans & vulneratum*. Si ad posterius membrum, actus nempe spirituales, assertio illorum applicatur, vereor, ne in casses Pelagianorum incidant, qui postpositâ divinâ gratiâ hominem ad benè agendum vires sufficientes habere, clamitant; (a) Vel Romanensium cantilenâ seducti, gravissimè impingant. Hi enim nescio quo occæcati fascino, in mero meridie lucem non vident, arbitrium in cerebello suo cudentes tam perfectum, ab omni-que imbecillitatis contagio liberum, ut hujus subsidio justificationis gratiam, cur nî & cœlum suum Empyreum? aliquis obtinere possit! Verùm enim verò quod deliriis ejusmodi Armenii, minimum hodierni, non delectentur, ex illorum dogmate de Justificatione, in sæpiùs citat. epist. explicato, colligitur: Ubi ad gratuitam Dei misericordiam & pretiosam ἀπολύτρωσιν eamq; universalem (non particularem, quomodo Reformati, & qui hodiè in illorū castris versantur, *Marpurgenses* in Colloquio nuperrimo Anno cIdo Idc LXI. Mense Julio cum Rintelensibus Theologis instituto (b) volunt) in Christo Jesu factam, Rom. III. 24. ad sacram velut ancoram confugiunt, & in ipso Salvationis actu Bonorum Operum concursum efficacem abnegant; contrà ac nonnulli putant, ut quem in tuendâ Bonæ Opera ad Salutem necessitate, ad Armenios, Gregorianos & Æthiopes provocasse, ὁ Παμμεγέθης Dn. D. Calovius, (c) non sine præfatione honoris mihi nominandus, commemorat.

K 2

DE

(a) *D. Pappus Histor. Eccl. p. 305.* (b) *vid. Relation. illius Colloquii pag. 8. §. V. conf. Epistol. & Epicrisin Venerandæ Facult. Theolog. in Academ. VVittebergensi, Sectione II. Artic. II. de Prædestinat. §. VII. pag. 40.* (c) *Orat. de Græcor. sive pag. 34.*



# DE SACRAMENTIS,

*& in specie*

## DES. COENA & TRANSUB- STANTIATIONE.

VII. Porro divinæ gratiæ signacula, Sacramenta, quæ Salvator noster in Novo Testamento instituit, quo religionem suā tantò firmiùs muniant, Armenii reverenter quidē habent, decurtata tñ. illis ἐνέργεια. (Contra vulgatissimam Papise quarum sententiam, qui Sacramenta *ex opere operato*, ut barbaram isthanc assertionem barbarè quoque eloqui amant, hominibus conferre gratiam & divina dona adseverant.) si fides modò hæresium confarinatoribus ubiq; tribuenda est. (a) Sacramentum Cœnæ, ipsorum linguâ Կուրնը թ̄ dictum, (b) πτηνοκλεψίας ignari, sub utraque specie, ut plures in Oriente populi (c) administrant. Quam ob rem spicula in eos venenata torquet Nihusius, (d) falsoque communionis sub utraq; specie usum in Megalandrum Lutherum devolvit, quem effrons Apostata *demagogum plebejum* contumeliosè nominat, ante cujus tempora nulla natio Christianorum in Asia & Africa præceptam à Christo talismodi communionem crediderit. Heu! iceleratum caput,

*In tenebras mersum divini que ignis inane.*

Ulteriùs panè azymo ex Veteris Ecclesiæ usu in eadem Armenii utuntur, quales placentulas Էւրուր չ̄ vocant, (e) quem morem Hildebrandus, aliàs Gregorius VII. Papa, cum Armenicas Ecclesias visitaret, approbavit, quan-

tum-

(a) De Castro. lib. 3. f. 65. Guido in summ. de hæres. Bellarm. Observ. lib. 3. cap. 12. Hoornbek. l. 6. (b) Rivola, in Lex. pag. 209. (c) Thom. à Jesu lib. 7. cap. 13. de Abyssin. Thevet. in Cosmograph. de Levant. pag. 248. de Cophitis, Jacobitis, & Christianis Indis Brerevod. lib. d. (d) vid. Mantiss ejus ad Leon. Allatii de Consens. Orient. & Occident. p. 1675. (e) Rivola in Lex. Armen. Latino p. 53.



tumvis ob illum Græcos infestos experti sint. (a) unde Alphonsum de Castro falsitatis & ἀπιστοσύνης non possum non postulare, quando Armenios fermentatum panem ad Eucharistiæ celebrationem adhiberi voluisse blaterat. (b) Verba afferimus Dn. Olearii; (c) ne solertem observatorem hinc suâ laude meritâ defraudemus. Ita verò illa sonant: Das Brod ist nicht wie bey den Russen und Griechen gesäuret/sondern ungesäuret/und über einen Reichsthaler groß und dicke. Bey empfangung des Abendmahls wurde gesungen / und mit ihren breiten Cymbeln / welche sie auf Armenisch Hambartzon nennen / geklungen. Es mus nothwendig bey ihrem Abendmahl und Messehalten mit solchen Cymbeln oder Schellen gespielt werden/denn sie geben vor; Christus / als er hat die 4000. Mann speisen wollen / habe zuvor auf dem Berge seinem Himmlischen Vater im Gebet gleichsam ein Opfer gethan / zu welchem zween Engel mit solchen Cymbeln geklungen. Vinum sine aqua apponunt, quo nomine Græci hæreseos anathemate eos feriunt. Papæi talem mixtionem ab Alexandro I. circa annum Christi 114. , Platina(d) & Polydoro Virgilio (e) testibus, institutam, sine gravi peccato non intermitteri, nescio quâ fronte affirmant. Etenim nihil eos juvat, quod de latere Christi sanguis & aqua fluxerit: nam extra oleas vagantur, falsam illationem fabricantes, cum de vini & aquæ temperatione, non verò de sanguine & aqua fermo sit. Bilem movit Balsamoni (f) ὕδρα παρασκευασίας apud Armenios omisio: unde pluribus in eos debacchatur, quæ ut hinc legantur, operæ pretium existimo. οἱ Ἀρμενιοὶ, inquit, μὲν τῶν θεοστυπῶν αὐτοῖς ἄλλων ἀρέσεων, οἶνω μόνω κεχηνίον

K 3

ἐν τοῖς

(a) Baron. ad ann. 108. Confer. Binius Tom. 3. Concil. part. 2. pag. 1153. (b) lib. 6. Hæres. 2. fol. 140. (c) lib. 4. Itinerar. cap. 40. pag. 519. (d) pag. 17. (e) de rer. invent. lib. 5. cap. 10. pag. 446. Bellarm. lib. 4. c. 10. à Castro lib. 5. hæres. 7. fol. 150. (f) in Synodo 6. p. 394. Schol. ad Canon. 32. confer. Zonar. Canon. Concil. 40. pag. 426.



ἐν τοῖς ἁγίοις μυστηρίοις, καὶ λέγουσι τὸ ποιεῖν ἀκολούτως τοῖς γρα-  
 φῆσι τῶν μεγάλων τῆς ἐκκλησίας διδασκάλων, καὶ χρυσοῦ τὴν  
 γλώτταν Ἰωάννη ἐν τῇ εἰς τὸ κτλ Ματθαῖον Ευαγγέλιον ἐξηγήσας  
 αὐτῶν, τοῖς διαλαμβάνουσι μὴ δι' ὕδατος τὸ ποτήριον προσαγγεῖλαι  
 ἀλλὰ δι' οἴνου &c. *Armenii cum aliis, quæ eis aderant, hæresi-  
 bus, solo vino in Sacris Mysteriis usi sunt, & dicebant, se facere  
 consequenter eis, quæ à magno Ecclesiæ Doctore, linguâq; aureâ  
 Johanne Chrysostomo, conscripta sunt in sui Evangelii interpre-  
 tatione secundum Matthæum; quæ tractant, non per aquam, sed  
 vinum sacrum calicem exhiberi. Alii Chrysostomi mentem  
 aliter explicant, & dicunt; quòd hydroparastatarū hæresin  
 refutaturus vini meri usum probaverit, post verò ad Eccle-  
 siam promotus, hydroparastasin observare jussit. ἡνίκα  
 ἔτι ἀναίμακτον θυσίαν ὀπιτελεῖται δεικνύει, ἔτι ἐκ τῆς θείας πλευ-  
 ρῆς καὶ τιμίας ὕδατος ἡμῶν καὶ σωτήρος Χειρὸς τῆς θεῆς ἐξ αἵμα-  
 τος καὶ ὕδατος κρᾶσιν ὡς δεικνύει, ἥτις εἰς ζωοποίησιν παντὸς τοῦ κόσ-  
 μου ἐξεχέθη, καὶ ἀμαρτιῶν ἀπολύτωσησιν καὶ κτλ πάσης δὲ ἐκκλησίας  
 ἐνθάδε οἱ πνευματικοὶ Φωστῆρες ἐξέλαμψαν, ἡ θεοσδοσία αὐτῆ τῆς  
 κρᾶσεως. *Quando incrementum peragi sacrificium oporteret, ex  
 pretioso & honorando nostri Redemptoris latere, ex sanguine & a-  
 qua contemperationem ostendens, quæ in totius mundi vivifica-  
 tionem effusa est, & peccatorum redemptionem: Et in Ecclesia ubi  
 spiritualia lumina refulserunt hic ordo divinitus traditus ser-  
 vatur. Sed quis examinandis his tempus infumat, omnia  
 namque Papise quarum argumenta facile discutuntur. Porro nec prætereundum,  
 quòd duos calices usurpent, quorum uni panis, alteri vinum consecrandum imponi-  
 tur, quemadmodum ex Epistola (a) Romæ Nonis Julii  
 Anno M DC XLVI ad Nihesium datâ cognoscitur. *Ar-  
 menii, fluunt verba Epistolæ, ut securius rem suam tueantur,  
 ministerium calicis usurpant, panes enim illapsi in eum, difficul-  
 ter***

(a) Apud Allatium pag. 1670.



ter exeunt, quare calix illorum Latina patina, & Græci disci-  
vicem Sacerdotibus exhibet. Petrus quoque Arcudius Cor-  
cyræus Presbyter, Philos. & SS. Theol. D. lib. 3. de Con-  
cordia Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis, (a) postquam  
adduxerat verba Chrysostomi ex Homilia 24. in 1. ad Co-  
rinthios: Τὸ ἐν τῷ ποτηρίῳ οὐκ ἐκ αἵνου ἐστὶ τὸ ἀπὸ τῆς πλευρᾶς  
ρεῦσαι, i. e. quod est in calice, istud est, quod ex latere fluxit. Et  
illud Augustini: (b) Hoc accipite in pane, quod pependit in cru-  
ce, hoc accipite in calice, quod manavit de cruce. Con-  
cludit, quòd hæc sit inter alias, quas adsignant Doctores, ratio  
non contemnenda, cur vinum & aqua misceantur in calice.  
Nec unquam de hac re agitata esse controversiam inter Græcos  
& Latinos, quasi verò Græci more Armeniorum in Sacrificio so-  
lo vino contenti fuerint, addit postea: Unde immeritò Guido  
Carmelita in Catalogo hæreticorum & Innocentius Ter-  
tius (c) accusant Græcos huius erroris: Nisi fortè notati Auctores  
per Græcos intellexerint quoscunque Orientales, ut optimè  
observavit Bellarminus; inter quos sunt Armenii huic errori  
obnoxii, quos etiam ipsimet Græci jure optimo reprehendunt, quòd  
eâ ratione nolint Armenii significare unionem duarum natura-  
rum in Christo, quæ est alia ratio congruens huic mysterio. U-  
trumque sit, certè si Armenios intellexerunt, inusitata phrasi, non  
secus ac si aliquis nomine Germanorum Italos exprimat. Arme-  
nios in errorem induxit sententia quadam Chrysostomi, male ab  
illis intellecta, homilia 83. in Matth. in expositione illorum ver-  
borum: Non bibam de hoc genimine vitis; cujus rei gratia non a-  
quam, sed vinum post resurrectionem bibens, perniciosam quæ-  
dam hæresin radicicùs evellere voluit. Quandoquidem enim  
sunt nonnulli, qui aquâ in mysteriis utuntur. Similiter de iis  
Alphon-

(a) in Septem Sacram. administr. pag. 152. edit. Paris. Anno 1626.

(b) lib. 3. de Trinitat. cap. 10. it. in Sermon. ad Neophytos. (c) lib. 4. de  
misse officio cap. 32.



Alphonsus de Castro (a) prodit, quòd figmentum Trans-  
substantiationis admittant. Unde etiam Papicolæ testimo-  
nium suæ Ecclesiæ extorquere gestiunt. Editus est liber  
Lutetiæ Parisiorum, Anno hujus seculi XXXIV. cujus  
frontispicium hanc inscriptionem continet : *Doctrina  
Christiana, à Petro Paulo Armeno Sacerdote in linguam Arme-  
nam versa; an Bellarminianas exponat merces, quas in il-  
lud idioma translatas eruditi existimant, indubitato qui-  
dem non affirmaverim.* Nihilo tamen minùs, ad votum  
Papatus transubstantiatio firmiter ibidem adseritur, ad-  
ducto hoc simili. (b) *Audivit haud indubiè Loth, uxorem in  
statuam salis conversam esse, age verò, quicumque hanc statuam  
videbat, ille speciem figuramq; uxoris Loth videbat, quæ tamen  
uxor Loth amplius non fuit, sed sal, sub specie mulieris delite-  
scens. Quemadmodum ergò in hac conversione Substantia in-  
trinsecùs mutata fuit, & species mulieris extrinsecùs apparuit,  
sic quoque in hoc mysterio accidit. Mutatur enim interior sub-  
stantia panis in corpus Dominicum, eademq; exterior panis spe-  
cies, uti antè fuit, permanet. Idem de calice accipiendum est &c.*  
Simile certè hoc non ex diptera, quod ajunt, Jovis, sed è  
claudi officina Vulcani depromptum est, & vehementer  
claudicat. Nihil ad palatum Papale ingeniosius, scilicet!  
excogitari poterat. Versatur nempe Scriptor ille in Hori-  
zonte, lineis rasorum capitum circumscripto. Neque  
ullum tantâ mentis ἀρρωστία laborare confido, ut non hy-  
percriticam horum subtilitatem, jam tamen dudum pa-  
storitiâ fistulâ explosam, vel primo statim intuitu animad-  
vertat. Prædictus quippe liber non complectitur Arme-  
nicam religionem, sed Romanam, Armenò tantùm cæ-  
mento, ut schemate isto peregrino licentiùs regiones per-  
vagari

(a) lib. 6. fol. 142. hæres. 4. Brerevod. pag. 190. lib. cit. it. Dn. Ur-  
sin. l. d. (b) pag. 198.



vagari posset, incrustatam, quam presbyter ille suis supponere, quin imò obtrudere annisus est. Quare ex eadem Armenios propitiâ ac illæsâ veritate judicare non possumus. Nec obstat Dodonæi illius Pontificiorum Oraculi, Bellarmini auctoritas, qui pariter illis transubstantiationem affingit, cum hujus Rhadamanti judicium è falso natum sit principio, veluti docet æternum Theologiæ ornamentum, B. D. Gerhardus, (a) de quo ἀνευ κολακείας dici potest, quod gloria ejus (ceu de Basilio Cæsariensi Episcopo Balsamon (b) judicavit) καὶ πᾶσαν τὴν Οἰκουμένην διέδραμεν. Tandem Guido & à Castro *Sacramentum Cæna solius corporis salutem promovere*, Armeniorum erroribus adnumerant, de quo tamen, num ita doceant, haud immerito quis ambigat. Aliud certè institutio Armenica Christianæ Religionis, cujus modò mentio facta est, edocet, in qua videlicet confirmatur, quòd Sacra Cæna animæ cibus sit ex illorum sententia.

## DE BAPTISMO.

¶ IX. Baptismum, qui *Sacramentum initiationis*, *Novi Testamenti* βαπτισμῶν, *prima porta gratiæ*, & *Christianismi investitura* Sanctis Patribus denominatur, omni errorum labe defecatum non habent; conferunt quidem eundem infantibus in nomine Sanctissimæ Trinitatis, quos tñ. ad remissionem peccatorum eo non egere è Pelagiana thesi statuere dicuntur, cum nondum originali peccato contaminati sint. Nihilominus Baptismum necessariò ad vitam æternam requiri adserunt, adeòq; multò rectiùs quàm Photiniani sentiunt, qui pro fundamento habent, *Baptismum duntaxat externam fuisse primitivæ Ecclesiæ ceremoniam, quæ illi, qui Christo dedissent nomina, hoc externo gnorismate suam à*

L

Judais.

(a) L. de Cæna §. 140. (b) Synod. 6. Can. 32. pag. 394. (c) lib. 5. heres. 8. fol. 151.



*Judaismo & Ethnicismo secessionem declarent publicè.* (a) Unde Armenii parvulos sine eo discedentes æternæ felicitatis non fieri participes putant. Quem errorem dudum errârunt Pontificii, quibus præivit sententiarum artifex Lombardus, (b) scribens: *Si queritur de parvulis, qui ante diem octavum moriebantur, antequam fiebat circumcisio ex lege, utrùm salvarentur, vel non? idem potest responderi, quod sentitur de parvulis ante Baptismum defunctis, quos perire constat.* Cui concinit Dominicus à Soto (c) his verbis: *In Ecclesia Romana constitutissimum est, nullum parvulum absque Baptismo in re, (quam in voto habere non potest) intrare in regnum Cælorum.* Ex hoc supposito Armenii tradiderunt, tales infantes tantùm in Paradysum terrestrem transferri, si fidelium liberi sint; sin secus, eos juxta cum Parentibus ad orcum detrudi, uti quidem Alphonsus refert. (d) Baptifatos chrismate, quod  $\text{H}\text{C}\text{L}\text{N}\text{L}\text{E}\text{P}$  vocant, (e) & ex butyro confectum est, inungunt, vanâ imbuti persuasione, Baptismum sine hoc non esse Baptismum. (f) Quidam, quos Brerevodus (g) allegat, his quasi coronidis loco annectunt, quòd post Baptismatis administrationem infantibus statim sacram Eucharistiam porrigant, illud absque hac nullum habere usum censentes. Consuetos ritus, unà cum aliis huc facientibus Olearii (h) sty-  
lus tali verborum ambitu exponit. **An stat der Glos-  
cken / welche sie vor den Persern nicht haben dürffen / war  
ein dünne Bret aufgehencft / und mit einem Knüppel dar-  
an**

(a) *Catechesis Ratiaviensis pag. 252.* (b) *lib. 4. distinct. 1. lit. L.*  
(c) *lib. 2. de Nat. & grat. cap. 10. add. Azorius lib. 2. instit. moral. cap. 17.*  
& *Colloquium Ratisponense.* (d) *lib. 12. fol. 235.* (e) *Franciscus Rivola in*  
*Lexic. pag. 201.* (f) *Alphons. Heres. 8. lib. 3. fol. 69. D. Calovius Orat. cit.*  
*pag. 33. Binius Concil. Tom. 3. pag. 1254.* (g) *Scrutin. Relig. pag. 190. cap.*  
*15. Guid. Summ. Heres. Joh. Boem. de gentium rit. leg. & morib. lib. 2. pag.*  
*115.* (h) *lib. 4. Itinerarii cap. 40.*



an geschlagen / wenn ihr Gottes • Dienst zu verrichten.  
 Sie taufften sie ein Kind folgender massen : Ein Knabe  
 von 15. Jahren hielt das Kind auf den Armen vor dem  
 Priester. Es war auch niemand mehr / als dieser Knabe  
 und ein alt Weib / welche das Kind aufwickelte / hat es  
 auch herein gebracht. Sie stund an einem weit abgelegenen  
 Ohrte / wolte oder dorffte nicht hinzugehen ; der Knabe  
 musste das Kind wieder zu ihr bringen. Der Priester  
 brachte mit lesen / beten / und andern Ceremonien / über ei-  
 ne gute halbe Stund zu / fragte den Knaben zum öfftern /  
 welcher ihm auch bißweilen seine Worte nachsprach. Hernach  
 giengen sie in die Sacristey / da war in der Wand ein  
 Taufstein eingemauret / als ein kleiner Trog / von einer gu-  
 ten Ellen lang / und einer halben breit / in demselben wei-  
 hete der Priester das Wasser / goß vom gewyheten Oel  
 darein / und sang mit seinem Rappellan lange dabey. Hernach  
 hielt der Priester das Kind nackend als im Troge sit-  
 zend / segnet es mit einem Evangelien Buch und Kreuz /  
 ( a ) goß dreymahl mit der Hand Wasser über das Haupt /  
 im Nahmen Gottes des Vaters / des Sohnes / und des H.  
 Geistes / begoß es hernach über den ganzen Leib / und be-  
 strich es zu letzt mit gesegnetem Oel an der Stirn. Sie  
 tauffen die Kinder nicht vor dem achten Tage / es sey denn /  
 wenn sie etwa krank würden / und wenn ein Kind vor der  
 Tauffe stirbt / wollen sie es nicht seelig schätzen / auch  
 nicht auf den Kirchhof begraben / gleichfals auch die  
 nicht / wenn sie in einem ganzen Jahr zum Abendmahl  
 sich nicht einfinden. Narrat Frisingensis ( b ) mira de gen-  
 te quadam Armeniis vicina , malum foetorem emittente,  
 quòd nempe lavacrum Baptismi foetorem , qui ipsis quasi  
 connaturalis est , pellat , quemadmodum de Judæis quoq;  
 foetentibus ( c ) Fortunatus ( d ) cecinit :

L 2

Ablui-

( a ) vid. Cent. 7. Magd c. 5. ( b ) l. 7. c. 32. Lorin. in Psal. I. 3. p. 242. Baron. ad  
 Ann. 1145. §. 24. pag. 330. Tom. 12. Spondan. ad eund. p. 262. ( c ) Ammian.  
 lib. 22. conf. Philelphus Epist. vol. 2. lib. 2. ( d ) lib. 5. Carm.



*Abluitur Judæus odor Baptismate ditto,*

Quibus bellè quadrat Historia de Tatarorū Chami filiolo. Duxerat Cassanus, Armenorum Regis filiam Christianam, quæ de formem aliquando prolem enixa, adulterii postulabatur ob foedum partum, morti cum matre adjudicandum. Ea cum infelix mater perspiceret, infantem baptismo ut liceret initiari, multâ prece obtinuit. Tum admirabili plane ac divinâ *παλιγγενεσία* metamorphosi, expulso Iare Ethnico baptisatus infans novam, eamque pulcherrimam formam exhibuit omnibus, ut verè regeneratus videretur. Quo factò Pater intra se commotus Baptismum cum religione Christiana suscepit, & Christianos ab acinacis Turcici feritate sæpè fortiter defendavit. (a)

## DE UNIONE ECCLESIAE IN CONCILIO FLORENTINO.

UT ET

### DE CONCILIIIS AB ARMENICA ECCLESIA RECEPTIS.

IX. Sed ut ne *σύνδεσμον* unionis, quæ de Thraſonico fastu Pontificii Parmeniones inflati tantopere sibi gloriantur, (b) præternavigemus; sciendum est, quòd cum Eugenius IV. Imperatoris Palæologi in Oriente rogatu, Florentinam Synodum intimaret, quò Græci à Latinis dissidentes conglutinarentur, Armenii quoque accersiti accesserint, ac (ex sententia Binii loquor) informationem de septem Sacramentis, Primatu Papæ, Purgatorio, aliisque capi-

(a) vide Bzovium in Tom. 13. Annal. Baron. ad Ann. 1299. p. 1106. Lorin. Tom. 1. in Psal. L. v. 9. pag. 860. Genebrard. ad Ann. 1291. pag. 659. conf. Guilielm. Naugiacum. & Centur. Magdeb. 13. cap. 16. pag. 1376. (b) Genebrard. l. 4. p. 694. ex Platina Volater. Palmer. Naucler. Chalcocond. Bessavion, Trapezuntius, Jac. Gordonus Lesmoreus in Op. Chronol. ad A. C. 1438.



capitibus suo & Patriarchæ, omniumque Armeniorum nomine reverenter expetierint, Anno Christi 1439. X. Kal. xbr. Ad quam institutionem Bellarminus ejusque socii provocant. At verò Marcus Antonius de Dominis, Archiepiscopus Spalatenfis, ( qui relicta Babylone Romana (a) Calvinianorum pilis in Anglia se immiscuit, librosque X. de Republica Ecclesiastica ibi vulgavit, tandem tamen Papalem Synagogam repetens Romæ post mortem Vulcano consecratus est, ) magni παρρησιαστικῶς hic arguit Papicolas, disertim negans, quòd *Articulus de septenario Sacramentorum numero unquam in hoc Concilio fuerit discussus, aut conciliariter definitus.* Deinde etiam fidem Eugenii desiderat, quando ait, *Armenios Legatos institutionem suo Patriarchæ nomine cum omnibus capitulis acceptasse, siquidem nullum hujus rei testimonium ullibi profert.* Denique non leve mendum in annotatione temporis occurrit, dum finem Concilii ad X. Kal. xbr. collocat, ultima verò sessio habita d. XXIV. Martii præfati Anni 1439. Quapropter rubore suffusus Bellarminus (b) falsimoniis suis patrociniū quærit concedendo, institutionem ab Eugenio propositam res non tractare *conciliariter*, sed *obiter tantum*, sive ut alibi habet, (c) non *definitivè*, sed *institutive*. Quàm vehementer autem eo ipso vapulet, nemo non videt. Accedit, quòd Armenii præter tria celebratissima Concilia, utpote Nicænum in quo Arius damnatus, Constantinopolitanum, ubi Macedonii & Eunomii error enervatus, & Ephesinum primum, damnatâ Nestorii impietate famosum, Synodos nullos receperint, largientibus adversariis ipsis. (d) Benè igitur Magnus Concilii Tridentini Censor, B. Chemnitius, (e) in Florentino antè enumerata dogmata *Armeniis obrusa esse*, scribit. Quæ, quomodo servata ab iis sint, plurima τῶν ἐναντιῶν exempla obviantia monstrant, ut non sine causa Carmelita Monachus,

L 3

chus,

(a) de hac denominatione sedis Papalis à Castro l. 12. f. 229. consulendus. (b) de Sacrament. in Gen. l. 25. (c) de Baptism. c. 9. (d) Bin. de Concil. l. d. pag. 1254. (e) Concil. Trident. part. 2. pag. 12.



chus, Thomas à Jesu (a) conquestus sit, nunc nec apud Armenios, neque apud Græcos, unionis illius ullum ferè existere vestigium. Quin crassior inter hos & illos, quàm inter Pyramum & Thisben paries, ut Tiraquellus (b) loquitur, observatur. Licet proinde Bessarion Trapezuntinus, Episcopus Nicenus, ac Isidorus Ruthenorum ArchiEpiscopus, à Pontifice Romano inter Purpuratos recensiti fuerint, eò quòd Concordiæ Ecclesiarum auctores fuissent, ut loquitur Lesmoreus l. c. vel ut rectiùs dicam, quòd ad Pontificiorum castra migrassent, à cæteris tamen Græcanicæ Ecclesiæ Præsulibus, reduces è Concilio facti, malè excepti fuerunt, quia à Romanis illi penitùs abhorrebant, tanquam impiissimis mortalium, ad execrationem superbâ subscriptione moti, quòd Latini supremam in Ecclesias omnes potestatem literis unionis inseruissent. (c)

### DE PRIMATU PAPÆ.

X. In Puncto de Persona Archiaminis Romani, & reverentiâ eidem exhibendâ auctorum sententiæ non magis conveniunt, quàm capita, quòd vulgò ajunt, vulpium Samsonicarû. Hoornbek (d) ex Nicone, Prateolo & Thoma à Jesu, Armeniorum hostibus juratis docet, Romanam ab his Ecclesiam non modo contemni, & baptismum iterarari in eo, qui Romanorum assuetus Sacris ad Armenios deflectit, (quoniam ibi verum baptisma non haberi autument, suum coetum Catholicæ Ecclesiæ epitheto honorantes, ) verùm etiam Papam negligi, tanquam cæteris nullo modo superiorem. Idem etiam memorat p. m. D. Gerhardus, (e) addens, Armenios, cum Gregorius XIII. per Legatos iis Novi Calendarii receptionem offerret, & inspectionem in hanc Ecclesiam obtinere moliretur, totum negotium ad Orientales Patriarchas detulisse, datoque per literas ad Gregorium responso, nominibus infrà adjectis scripsisse, Se non existere sine capite, siquidem inde à Constantini

M. &

(a) l. 7. c. 12. de Convers. Gent. Hoornbek l. d. (b) in præfat. l. Si unquam. N. 2. vid. Jacob. Andr. Crus. Lucubr. de Noct. cap. 1. p. 5. (c) D. Calov. Orat. citat. p. 13. 14. (d) l. d. Alphons. à Castro l. 3. hæres. 5. fol. 66. (e) de Eccl. pag. 368.



*M. & Regis Tiridatæ temporibus in hanc usque diem Catholicum semper Archiepiscopum habuerint; neque in veteri ipsorum Calendario culpari quid posse. In propatulo quoque est, quòd in cassum laboraverint Romani antistites, Clemens IV. Benedictus XII. Johannes XIII. Innocentius VI. & Gregorius XI. concordiam cum Græcis Ecclesiis introduçturi, ut quam *αὐτοκράτορεια* Paparum, præmodum ipsis exosâ, deterriti, ratam esse noluerunt. Adeò ut Johanni XIII. totius Ecclesie caput se iactanti, reponere nihil extimuerint: *Potentiam tuam summam erga tuos subditos firmiter credimus, superbiam tuam summam tolerare non possumus, avaritiam satiare non volumus, Diabolus tecum, quia Dominus nobiscum.* (a) Consonat his aliud illustre testimonium, quod anno superioris seculi 67. in Urbe Indiarum Cocimo, non procul à Calcuth, contra Jesuitam Melchiorem Carnerium, Thomani Christicolæ Armeno Episcopo, dehortanti eos à paleis Pontificiæ segetis, suppeditarunt. Jesuita enim Armenio ogganniens, omnium Indorum oculos & sagittas in se dirigi vidit, quibus etiam, nisi meditatus esset fugam, obrutus cecidisset. (b) Frustratur igitur Jesuita Lesmoreus in Op. Chronol. ad A. C. 1438 gloriatur, quòd in Concilio Florentino *Romana Ecclesie primatus ab omnibus*, qui tùm aderant, quos inter & Armeni, fuerit adsertus. Imò Leo quoque Allatius, (c) inter Græcos quidem natus, post tamen transfuga ad sedem Occidentalem, (unde etiam Punicæ, quod ajunt, fidei meritò censetur,) tradit, Armenium Metropolitanum Constantinopoli in Epistola A. C. 1637. ad Urbanum IIX. perscriptâ, nominasse Papam *caput & decus omnium Christianorum, & Catholicum presidem*, (cur non generalem Commissarium Dei, assumtum in plenitudinem potestatis? ut Angelus de Clavasio (d) nugatur?) additque, factum hoc ideò, quia *Papa in miseros Parthos seu Armenios egregia merita extabant*. quæ quidem causa sufficere potest, nisi recens ille basiator palpum vendere Urbano intendit.*

DE PUR-

(a) gesta hæc post C. N. Sec. XIV. vid. Orat. D. Calovii. p. 13. (b) D. Gerhard. l. d. (c) lib. cit. p. 1007. conf. Ursin. Unterscheid. p. 64. (d) in Summ. Angel. voc. Papa.



DE PURGATORIO, PRECIBUS PRO MOR-  
TUIS, ET NONNULLIS RITIBUS.

XI. Præterea *indulgentiarum* aucupium, *Purgatorium*, & *preces pro defunctis*, turpia illa Sacerdotalis avaritiæ inventa explodunt. (a) Conjugium Sacerdotum admittunt, ad secunda autem vota transire, apud eos prohibitum fuisse, narrat Auba- nus. (b) Quid? quod soli uxorati Sacerdotes seculares esse ju- beantur. (c) Nullum agnoscunt Sacramentum in nuptiis, nul- lam *spiritualem gratiam*. (d) & posse illud pro arbitrio dissolvi. (juxta Guidon. apud. Alphons. f. 221.) In Officiis Ecclesiastico sermone patrio utuntur. (e) In Liturgia omnibus integrum Sa- cramentum distribuunt, nec ulla sine administratione Sacra- menti missa celebratur. (f) quibus omnibus Pontificiis ulcera ita tangunt, ut virulentas in eos vociferationes & sycophan- tias denso agmine effundant. Annon ergo facilius est κλώθειν τὰ αἰὲν κλωσθῆναι & Gryphes equis jungere, quàm hos illis? Scopas dissolutas projiciunt, quando Armenios imaginum cultores salutant. Non equidem ignoro, quòd, Euthymio referente (g) Gregorius, magnæ Armeniæ præsul, omnes cruces, à se col- locatas adorare, ad easque confugere jussit, unde apud Scri- ptores τὰ εὐλαστῆρα, & suo idiomate *Chazinzarii*, à *խաչ* genit. *խաչի*, (h) id est, crux, postea cognominati. Quo cultu hodiernum Romanenses crucem prosequuntur, ceu Tho- mas (i) eorum antesignanus fatetur. De nostris verò legitur, quòd crucem, è quacunque materia factam, postquam ablue- rint eam & baptisarint, medioque ejus clavum infixerint, in sanguine victimæ tinctum, colant, & adorent, in commemo- ramen-

(a) Alphons. de Castro lib. 12. f. 249. (b) loc. sup. cit. (c) Burchard. Terr. Sanct. p. 2. c. 2. l. 9. Brerevod. loc. dist. (d) D. Calov. Orat. p. 16. (e) Pappus l. c. p. 371. (f) Hoornbek. ex Chytræi Orat. de Stat. Eccl. Græc. p. 22. 23. (g) in Pa- noplia part. 3. Tit. 20. vid. Baron. ad ann. 311. Tom. 3. p. 67. Centur. 7. Magdeb. cap. 5. Papp. pag. 345. (h) Rivola Lexic. Armeno-Latin. pag. 166. (i) pag. 3. quæst. 25. Artic. 3. Alensis. pag. 3. quæst. 2. membr. 3. Artic. 3. confer. B. Gerhard. L. de Ec- cles. pag. 419. & Petr. Paul. Armen. Summ. Doctrin. pag. 10.



ramentum cruentæ passionis Dominicæ, unum nempe Divi-  
 næ Trinitatis esse crucifixum, id est, juxta interpretationem  
 Euthymii, divinam ejus naturam. Idem Euthymius l.d. ita de  
 iis scribit: *Tres cruces ligneas constituebant, easque in se conjunctas  
 Trinitatem appellabant, atque hac ratione crucifixam Trinitatem fuis-  
 se, confitebantur; addebatur quoque Trishagion: Qui crucifixus es  
 pro nobis; etsi de Filio Dei se hoc adjicere, assererent.* (a) Nicephorus  
 (b) recitat, solitos fuisse a lava dextram versus se cruce signare, eamq;  
 in die Parasceves sub terra abscondere, post rursus producere, ut Ro-  
 manis solenne est. Alias verò imagines Patris, Filii & Spiritus S.  
 effigiare, & cum Jacobitis honorare, non tamen osculari. Quæ omnia  
 erroris superstitionisq; sunt documenta. Verùm dum soler-  
 ter quælibet conferuntur, non levis Auctorum inter se dis-  
 sensus deprehenditur. Nicon tradit, illos, qui pulcras imagines  
 adorant, ab eorum Episcopo anathematizari. Qui autem conci-  
 liari hæc possunt, exsecrari cultum imaginum & tamen eas honorare  
 i.e. adoratione venerari? annon illa ὁφθαλμοφανῶς se invicem  
 destruunt? Tandem allegata aliquoties epistola contrariū quoq;  
 evincit, videlicet, quòd neque Sanctos invocent, nec imagines, qua-  
 rum etiam paucas in suis templis habeant, adorent, ut superstitiosi  
 quidem Græci facere dicuntur. Quibus Magnificus Da. D. Ca-  
 lovius gemina exhibet in Oratione citata.

## DE DIEBUS FESTIS ARMENIORUM

XII. Sed neque concordant in festis cum Romana Ec-  
 clesia, etiam si Eugenius Papa in Concilio Florentino illis præ-  
 ceperit festum Annunciationis Mariæ die XX. Martii, Nati-  
 vitatis Baptistæ XXIV. Junii, Nativitatis Christi XXV.  
 Decembris, Circumcisionis, I. Januarii, Præsentationis in  
 templo seu Purificationis, secundo Mensis Februarii. Nam  
 Nonis Januarii Evangelismi seu annunciationis festum, cele-  
 brant, conveniens illi Evangelium adaptantes, quo tempore

M

simu-

(a) vid. Baron. ad Ann. 863. Basamon. p. 1097. (b) lib. 18. H. E. cap. 53.  
 Centur. 7. cap. 5. B. Gerhard. de Eccl. p. 415.



simulatè atq; obscurè tam annunciationem, quàm Christi Ortū  
 & Baptimū coincidere indigitant. (a) Quamq. certo exploratum  
 nondum sit, an eo die natalem Christi (quem penitūs eos igno-  
 rasse, ex Aubano compluries adducto patere videtur.) incide-  
 re credant, nec ne: *manifestum autem est*, inquit Nikon, l. c.  
*quod non sicut nos, carnem Domini in Dei matris utero formatam esse*  
*existimant. Quomodo enim fieri posset, ut infans in uno die perfectus*  
*nasceretur?* (Quid de sententia quorundam Veterum Ecclesiæ  
 Dd, quòd nempe Spiritus Sanctus in instanti omnia membra corporis  
 Christi formarit, habendum sit, exponit B. D. Gerhardus Exeg.  
 L. de Pas. & Offic. Christi §. 113.) Festum vero Epiphaniæ, Ar-  
 menicè յա յառաջագոյն թիւնք, dictum, (b) nullo ritu sacro  
 aut hymno, vel concione, seu lectione Scripturæ ab iisdem de-  
 coratum, sed immersione tantum crucis in aquam absolutum  
 fuisse, idem auctor refert. In quo passu contradicere quidem  
 Niconi non possum, nam *difficiliter redarguuntur, quæ de longè*  
*disfritis narrantur:* (c) credibile tamen est, tale festum, quod ad-  
 huc ipsis est in usu, nec olim solennitate suâ caruisse. Rariores  
 Orientalium, interq; hos etiam Armenorum, ritus ut egregiè  
 Olearius in Itinerario Persico annotavit, ita de festo hoc af-  
 fert nonnullos, qui hic legi merentur. (d) *Es begiengen aber*  
*die Armenier gleich den Russen den 6. Januarii A. 1637. nemlich*  
*den 5. Drey König Tag / das Fest der Wasserweihung / wel-*  
*ches die Armenier nennen Cartschæ Schuran, und fiengen es frühe*  
*vor Tage mit haltung einer Messe und Predigt an. --- Ihr Gots*  
*tes Dienst und Ceremonien waren der Römisch Catholischen*  
*nicht unähnlich anzuschauen. Da denn der Bischoff / ein alter*  
*Mann / so des Festes halben von andern Ohrtten dahin gekom-*  
*men / nach gehaltenem langen Sermon von der Offenbahrung*  
*Christi unter dem Heyden / sich zu den Gesanten nahete. --- Die*  
*Armenier kamen von allen umliegenden Dörffern zusammen in*  
*grosser Menge / und giengen mit vielen Bildern / Kreuzen und*  
*Fahnen in ansehnlicher Procession singend und klingend hinaus*

a) Vinc. l. 30. c. 98. (b) vid. Rivol. in Lex. p. 271. (c) Strabo l. 11. p. 530. (d) part. 2. p. 294.



zum Bache / der bey einer halben Meile jenseit der Stad Schamachie. --- In dem man am Ufer zu lesen begunte / sprungen 4. nackte Armenen ins Wasser / weil es mit dünnem Eise belegen / zu öffnen. Daß der Perjer Cham ihnen solches zulasset und sie dabey schützt / müssen ihm alle mahl 1000. Thaler von der Kirchen verehret werden. Der Bischof als er bey einer guten Stunde gelesen / die Gemeine gesungen / und mit zusammen geschlagenen Cymbeln gespielt hatte / goß ein wenig geweyhetes Oel ins Wasser / und taucht ein klein silbern mit Edelsteinen versetztes Kreuz darein / hielt hernach seinen Stab ins Wasser und segnet es. Bald darauf schöpften die Gemeinen / truncken und wuschen die Angesichter. Etliche junge Leute sprungen gar hinein / die meisten besprengten sich nur damit &c. Circumcisionis tempus octo diebus post Theophanior. Festum constituunt, ignorantes, illam baptismū præcessisse. D. 25. Martii Sacrum sanciverunt, in memoriam *ablutionis pedum*, quam Christus paulò ante Passionem suam peregit. Tum solet Sacerdos in templo masculini sexus dextrum pedem, sequioris dextram manum lavare, sacratioque Chrismate crucem in singulis figurare. Quibus peractis duodecim Sacerdotem comprehensum sellaque impositum in altum elevant. latis acclamationibus compita implentes, donec iis convivium spondeat (a) Novum Annum eodem die auspiciantur, solenni processione, erectisque vexillis. (b) Respondet ea votivæ peregrinationi, versùs Hierosolymas quotannis olim institui solitæ? (c) haesito. Porrò si aliquod festum in Sabbathum vel Dominicam diem incidat, indicari illud a Pastoribus Armenicis tantùm, minime verò celebrari, ex adducto Niconis loco perspicitur.

### DE VIGILIIS & JEJUNIIS.

XIII. Nullam *vigiliarum* rationem habent, nec adeò *quatuor temporum*, in quibus Judæi præcipua peregerunt *jejunia*, quarto scilicet, quinto, septimo & decimo mense. Primum adornatum erat in memoriam fractarum Tabularum Moïsis, Exod.

M 2

XXXII.

(a) ex Olear. lib. 6. pag. 716. (b) id. p. 497. (c) D. PAPP pag. 374. H. B.



XXXII. 19. Secundum, partim in recordationem Templi & ur-  
 bis Hierosolymæ combustæ à Chaldæis, IV. Reg. XXV. 9. 10. nec  
 non à Romanis, partim, quia eodem tempore Mosi nunciatum  
 putabant, neminem præter Josuam & Caleb in terram promissio-  
 nis ingressurum esse, Num. XIV. 23. 24. Tertium, ut memi-  
 nissent Godoliæ ejusque asieclarum interitum in Maspha, IV.  
 Reg. XV. 25 Jerm. XLI. 2. Quartum deniq; quò in memoriam sibi  
 revocarent Regis Babyl. consilia adversus Hierosolymas. Qua-  
 les ritus Pontificia Ecclesia secuta, in hyeme, vere, æstate, &  
 auctumno jejunia instituit. (a) Secùs Armenii faciunt, quorum  
 diversa jejunia trium classium cancellis commodissimè includi  
 possunt. I. Non per intervalla certa, ut aliis consuetum est, sed  
 longissimè extendunt; à septuagesimæ septimana illud au-  
 spicantur, tanto rigore, ut oleo, vino ac piscibus nec in quar-  
 tis sextisque feriis vesci liceat, rati se graviùs adhibitione ho-  
 rum eduliorum peccare, quàm si quis pravæ libidinis explendæ  
 gratia ganeas introeat: Sabbathis & Dominicis quadragesimæ  
 aleimata comedunt, lac, caseum, & ova, quæ oleo & vino  
 æquivalere anathemate jusserunt. (b) Cui ritui Balsamon pecu-  
 liarem Canonem opposuit. (c) *Non debere eos caseum & ova co-  
 medere, sed jejunium perficere, & ut ab omni mactabili, ita & ab ovibus  
 & caseo abstinere, quæ quidem sunt fructus & fetus eorum, à quibus  
 abstinemus. Si hoc non servaverint Clerici, deponentur; si Laici, se-  
 gregentur.* Eadem pœna religiosissimi Imperatoris Justiniani  
 ævo constituebatur iis, qui per caseum & ova jejunium omni  
 quartâ & sexta feriâ, quæ parasceve dicitur, solvebant. Ex  
 quo fortè quadragesimale jejunium quod  $\Psi\Omega$  Armeni-  
 nis nominatur, (d) solis radicibus, herbis & pulte contenti,  
 tenui

(a) Baron. ad annum 57. & Spondan. num. 62. Casalius de Rit. Vet. Ec-  
 cles. pag. 252. cap. 63. (b) Nikon. l. d. & Auban. Boem. (c) Synod. 6. pag. 428.  
 Can. 56 (d) Rivola lib. d. pag. 312.



centi, tenuissimo victu transigere cœperunt. (a) Quando jejunia frequentabant, missarum officia intermittebantur, quoniam jejunium tali administratione frangi autumabant, quæ causa, sextis quoque feriis à tali munere cessandi, occasionem præbuit. Diebus autem, quibus carnes manducabant, officio sacro ritè fungebantur, quidam sine peramentis & sacerdotalibus vestimentis omninò; quidam, ceu diaconi & subdiaconi, insulâ tantùm operti: nunquam verò nudato capite, (b) ad morem Hebræorum Sacerdotum, Levit. XVI. 4. Exod. XXIIII. 40. & gentilium, qui velato capite sacrificabant; (c)

*Ne qua inter sacros actus in honore Deorum,*

*Hostilis facies occurrat & omina turbet.*

II. Sabbatho Paschatos, quod Armenii aliàs quoque խոննոն nuncupant, (d) non jejunabant, eo die circiter vesperam Christum resurrexisse asserentes, quæ assertio Alphonso de Castro dubium movet, an relatione Guidonis standum sit nec ne, cum aliud è Scripturis, Luc. XIIII. 34. Matth. XXII. 40. edocti esse videri queant. (e) Diebus Veneris, qui diei Paschatis & Ascensionis, Armenis (հայ Տաղաթիւն լիւրիւնիւնիւն) (f) interjacent, carnem edebant. III. Multa superstitione septimanam, quæ est ante Տրոյքացոյն, undecima, (juxta Græcorum computum ante festum Paschatos, velut Plur. Reverendus Dn. Georg. Phelavius Ecclesiastes Gedanensis in Parochiali templo meritisissimus, Fautor meus pie colendus, solidè ex Christoph. Angelo deducit, ) (g) celebrabant. Nomen ei peculiare est ARZEIBURZT, sive ARTHIBURZIA, cujus propria significatio ferè ignoratur. Quidam existimarunt, fuisse hoc jejunium Niniuitarum; alii, Sergii cujusdam; nonnulli autem Adami,

M 3

(a) vid. Boteri Relat. p. 3. lib. 2. Brerevvod. pag. 191. (b) Boem. de mor. gent. l. d (c) Boxborn. & Stuck. de Sacrific. conf. Ursin. Analect. Sacr. lib. I. cap. 26. pag. 39. (d) Rivola p. 112. (e) lib. 13. fol. 257. Gabriel Prateolus Elench. Heret. lib. 1. §. 22. pag. 64. (f) id. Rivola pag. 210. (g) de Stat. Eccles. Græc. cap. 16. pag. 30. Prateol. lib. cit. pag. 65.



dami, eo tempore, quo è Paradyso ejectus fuit. Verissima ratio Niceph. Callisto (a) ac Lamb. Danao (b) videtur, quòd certa Secta fuerit *Artziburorum*. Quorum Episcopus canem habuerit, *Artziburzes* dictum, (id est, *præcursor*, seu *præcessor* Latino Idiomate: Præcedere enim solebat herum in urbem vel vicum prodeuntem, & Mercurii vices in literis collo alligatis deferendis explere.) Quo mortuo septem diebus (Angelus l. d. ponit duobus, Mercurii nempe & Veneris) in luctus testificatione, jejunium institutum esse scribunt. Die Lunæ, Mercurii & Veneris ab omni cibo sibi temperant, die Martis & Jovis semel comedunt, die Sabbathi & Dominico laute cuticulam curant. (juxta Boem. l. c.) Aliud prætereà jejunium in prima post Pentecosten Hebdomada ab Armeniis observari &  $\text{Էրշիսիսն Սարգիսն}$  u dici, Franciscus Rivola in Lexico Armeno Latino pag. 105. annotat.

#### DE SECTA GEORGIANORUM.

XIV. Datâ operâ de Georgianorum secta aliquid inferemus, ne illa novam paginam nobis faciat, de Artziburis namq; jam actum est. Testantur Historici  $\alpha\lambda\iota\sigma\tau\alpha\tau\iota\sigma\tau\alpha\iota$ , Georgianos primos è cœtu Armeniorum fuisse, qui à reliquorum se commercio separantes, ab Episcopo, de quo multum gloriantur, *Georgianorum* nomen sortiti sint. Nonnulli eos *Georgianos* vocant; (c) hodiè *Gorgiani* dicuntur, & regio ipsorum *Gorgestan* vel *Georgia*, (quod nomen quidem jam Plinii (d) & Melæ, (e) Geographorum primi pili tempore, quamvis aliunde petitum, notum fuit.) (f) Alii à *Georgio* equite, cujus imaginem in vexillis ferunt, eos ita nominari volunt. Habitant supra Armenios septentrionem versus, inter Pontum Euxinum & mare Caspium, ac olim sicut Armenii, Constantinopolitano Præfuli paruerunt. Jam specialem Episcopum habent in montis Sina claustro, Divæ Cathari-

(a) l. 18. H. E. c. 52. (b) *Comm ad Aug de heres. c. 93.* (c) *Danaus l. d.* (d) l. 6. c. 13. H. N. (e) l. 1. c. 2. (f) *Hoornbek. Summ. l. XI. p. 197. §. 9. è Pii II. Papa Cosmog.*



tharinæ sacro, Græco sermone plurimi, quidam etiam Chaldæo  
utuntur & cum Græcis in liturgia atque religione conveniunt.  
(a) Inter hos verò & Armenios tantæ inimicitia intercedunt,  
ut parum absint à Judæorum Zelotarum odio, qui sibi religio-  
ni ducunt,

*Vel monstrare vias eadem nisi Sacra colenti.*

Consuetudinem Armeniorum omninò detestantur, tanquam  
pessimorum hominum sub Sole, qui ex ipsorum judicio in  
XXX. Articulis à vera fide aberrant; ut Georgianus, qui Ar-  
menicè *Արացի* vocatur, (b) dicat: Si spinam calcibus infi-  
xam gestet, & Armenorum Ecclesiam prætereat, malle se do-  
lores, vehementer licet urgentes perpeti, quàm evellendi gra-  
tia inclinare, quò vilipendendum esse hunc cœtum testetur. (c)  
Clerici illorum latis coronis incedunt & rotundis, Laici ca-  
put tonsi in modum crucis; in sextis feriis carnes comedend-  
as indulgent, & *Surianis* (*Samaritanis*) (d) contrariantur.

### DE SACRIFICIIS.

XV. Ut in multis aliis cum recutitis consentiunt, ita ab im-  
mundis animalibus abstinent, & pleraque legalia abrogata, servant  
teste Vitriaco. (e) Consueverant quondam animalia sacrificare,  
& in altaribus carniū membra coquere, ac frustra Sacerdotibus  
offerre, qui mos postmodum plane desuit. (f) Agnum Magno Pa-  
schatis Dominico, (quem *Regem dierū* Nazianzen. g) vocat, ipsi v.  
*Մարտի* (h) appellant, ligni assum loco S. Cœnæ olim su-  
mebant, ossa concremabant, cineres reponebant cum sangui-  
ne in signum expiationis, velum ante altare statuebant & tin-  
tinnabula illi appendebant, ut strenuè Judaizare viderentur. (i)

Nun.

(a) Pappus l. d. Hoornbek pag. 972. D. Calov p. 17. d. Orat. (b) Rivola l.  
c. pag. 79. (c) Thom. à Jesu lib. 8. cap. 18. Bernhard. Lutzelburgensis in Centur.  
Magdeb. 13. cap. 5. pag. 563. (d) Papp pag. 372. conf. Nikonem. (e) Histor. Oient.  
cap. 79. (f) Balsamon Can. 99. pag. 489 (g) Citant. Casal. de Vet. Eccles. Ritib.  
pag. 240. conf. Brunus de Ceremon. lib. 6 cap. 5. (h) Rivola p. 115. (i) Jex Nikon. l. c.



Nunquam enim, ceubenè notat B. D. Hulfemannus (a) Asiaticæ Ecclesiæ, à Romana disidentes, è Papæ arbitrio Pascha celebrare sustinuerunt. Refertur præterea, non intermisisse Armenios veteres pro demortuis bouum & oviũ sacrificia offerre; quia aliter seruari non posse defunctum putarint, nisi tertiis & sextis feriis ea sacrificia facerent. Ante celebrationes illas, bestiis benedicientes dabant sal, & super earum capitibus certas orationes recitabant. Qualia sacrificia, *Natalitia* denominabantur, (ad genium, nisi animi fallor, gentilium, qui Dis Manibus inferias parabant, fuso melle, lacte, aquâ, vino, sanguine & unguento, (b) sive ut Cassiani solebant facere, in lucem editos deplorantes & vice versa mortuos beatos judicantes) (c) *Si qui autem aliquid eorum negant, eos anathematizabant* (d) Vero tamen affine est, plurimos ritus ex adductis procedente tempore exolevisse, quando quidem recentiores omnes, quos evolvere modò nobis licuit Scriptores, nihil tale de illis recensent.

## DE STATU ANIMARUM ANTE EXTREMUM JUDICIUM.

§. XVI. Veruto insignis Armeniorum error in Articulo de vita æternâ notandus venit, quando statuerunt, *animas piorum ante novissimum diem non frui beatificâ DEI visione*, in qua tamen summa beatorum gloria consistit: (e) *Videre enim faciem DEI, juxta Patrem, doctrinâ & sanctitate admirabilem, Augustinum, (f) est summum bonum, gaudium Angelorum, atq; omnium sanctorum premium vite æternæ.* — *Hæc est plena beatitudo, & tota glorificatio hominis, videre faciem DEI sui, videre eum, qui fecit cælum & terram.* Tantâ felicitate fideles defunctos dum

pri-

(a) Manual. August. Confess. Disputat. 19. pag. 1091. conf. Plur. Reverend. Excellent. Dn. D. Ægid. Strauch. Diss. de Paschat. Στραυρωσις tempore, in præloquio. (b) Turneb. lib. 4. Advers. cap. 20. (c) Nic. Damascen. de morib. gent. pag. 21. ex versione Cragii. (d) Balsamon pag. 1097. seqq. (e) Prateol. pag. allegat. 63. Cornel. à Lapide in II. ad Timoth. cap. 4. pag. 846. 2. Sixt. Senens. Biblioth. Sanct. lib. 5. annot. 169. lib. 6. ann. 246. 345. (f) Soliloq. cap. 36.



privant Armenii, in partes Anabaptistarum abeunt, qui simili modo plenariam animarum beatitatem ad universale iudicium differunt. Erroneæ opinioni fomentum supposuisse Johannem XXII. Papam, Alphonsus de Castro (a) auctor est, pro-  
dens, cum publicè per se ac alios docuisse, declarasse, & ab omni te-  
neri mandasse, quòd anime purgate ante finale iudicium non habe-  
ant stolam, qua est clara & facilis visio DEI. Eandem sententiam  
tuendam sibi post sumserunt Photiniani, è quorum contu-  
bernio Stegmannus, (b) Cur, scribit insulsè, ut solent  $\psi$ υχο-  
παρωχίας patroni, Christus veniret prius ad iudicium, piis vitam,  
impiis condemnationem adjudicaturus, si quisq; iam accepit, quod  
ipsi debetur? Corporis causa non opus foret iudicio. Fateor pericu-  
losum hic scopulum objici, in quem Veteris Ecclesiæ Docto-  
res, B. Irenæus, Origenes, Theophylactus, Tertullianus, La-  
ctantius & alii, quorum manipulum collegit Johannes Ray-  
noldus, (c) impegerunt. Nec ab hoc lapsu alienus fuit Bern-  
hardus, quando credidit, animas sanctorum usque ad diem iudicii  
quiescere sub altare DEI, hoc est, in sola visione humanitatis Christi,  
donec veniat tempus, in quo filius Dei post universalem resurrectionem,  
ostendet se ipsum illis in forma DEI, una cum Patre & Spiritu Sancto.  
Quid? quod non ita pridem Marcus Antonius de Dominis, Ar-  
chi Episcopus Spalatensis adductam causam de incompletâ an-  
te resurrectionem beatitudine perorare non dubitaverit: Me-  
diam in hoc puncto viam eligendam, & in inchoata beatitudine piorum,  
& in inchoata impiorum damnatione animas ad novissimum usq; diem  
collocandas esse, persuasus. Quam thesin, cum impræsentia-  
rum nec tempus nec scopi ratio mihi permittat, aliis discuti-  
endam relinquo. Adeat, cui volupe est, disputationem Theo-  
logicam de statu animarum separatarum maximè Reverendi  
Dn. D. Joh. Meisneri, ubi accuratè Pontificiorum Argumenta  
pensitantur. Cœterùm Armenii, ut unde digressus sum, re-  
vertar, durabilitatem quoq; infernalium poenarum perpetuam,

N

si fi-

(a) l. III. fol. 70. 71. 72. 73. seqq (b) in Probæ p. 192. (c) Censur. Apocryph. V. T. Tom. I. p. 13.



si fides habenda Prateolo est, (a) negarunt, contra expressam  
 Scripturæ literam, quæ plus vice simplici ignem inferni *ασβετον*  
 nominat, Matth. III. 12. XXV. 46. 2. Thesal. I. 9. Dan. XII. 2.  
 Dementias de propaganda humana specie in statu integritatis,  
 sine carnali maris & foeminæ conjunctione, (b) it. de absentia se-  
 xus muliebris in futura resurrectione, (c) quas Guido illis ad-  
 scribit, intactas, & indignas proluxa refutatione prætermitto,  
 cum de priori Scriptorem fide dignum & ab omni falsæ relatio-  
 nis suspicione vacuum, nondum nacti simus; posterioris verò  
 Augustinus (d) mentionem quidem faciat, Armenios tamen  
 non præcisè nominet aut perstringat

## CAPUT VI. & ULTIMUM.

### BIGAM QUÆSTIONUM PROPONENS.

**I** De significatione vocabulorum *Heresis* & *Heretici*. Augustini descriptio heretici &  
*hereseos*. Prædicata ejus expenduntur. Paulo durior sententia Arriagæ nota-  
 tur. Armenii sunt Christiani. *Heresis* alia materialis alia formalis. Augustini  
 dictum de errantibus. II. Pontificiorum conatus irritus in introducenda Har-  
 monia Orientalis Ecclesiæ cum Occidentali. Idem saxum Reformati volverunt,  
 sed frustra. Confirmatur illud testimoniis Calvinianorum. De Syncretistico cœ-  
 pto Liconati. Orthodoxæ Lutheranorum Doctrinæ Armeniorum hodiernorum  
 religio ferè respondet. Peroratio.

**Q**uandoquidem singula, quæ proposueram, certis includere se& iun-  
 ctulis, non conveniens visum fuit, paralipomena in duas quæstio-  
 nes cogere, & examen insimul de illatis brevissimum instituere con-  
 sultum duxi. Sit igitur

### QUÆSTIO PRIMA.

An Armenii hodierni secundum dogmata sua  
 considerati, Hæretici sint?

**U**T de quæstione ordine agamus consueto, primo loco vis vocabuli  
*heresis* explicanda est, cum rerum intelligentia à verborum intellectu de-  
 pendeat, juxta noctium Atticarum candidissimum scriptorem Agellium. (e) No-  
 tandum itaque, nos vocem *heresis* non in vulgari significato, prout  
*electionem* sive boni sive mali indicat, sumere, sed in sensu Ecclesiastico  
 & fa-

(a) l. d. (b) A phons. de Castrof. 45. (c) id. f. 257. l. 13. (d) Civit. D l. 22. c. 17 (e) l. 13. c. 10.



& famosiori, de quo exprimendo jam suo tempore Augustinus maxime sollicitus fuit. Difficile enim est, quid hæresis, aut qui hæretici nomine infamandus sit propriè, determinare. Et ne mihi aliquis jam occinat illud Alexandri: (a) *audesne juvenis de tantis rebus loqui?* aliorum solummodo sententias notabo. Auctores verò ubi in hanc Rhodum delati sunt tam agrè saltare video, ut de perfecta definitione harum vocum tantum non desperem. Hipponensis Præsul, quem modò allegavi, sibi ipsi quidem satisfacere hinc vix poterat, quantum ex sequentibus licet intelligere: *Non omnis, inquit, error hæresis est, quamvis omnis hæresis quæ in vitio panitur, sine aliquo errore hæresis esse non possit. Quid ergo faciat hæreticum, regulari quadam definitione comprehendi, sicut ego existimo, aut omnino non potest, aut difficillimè potest.* Licet verò in toto ejus de hæresibus libro exactam hujus rei definitionem non invenias; voluit tamen vir Sanctus, quod in uno omiserat, in altero compensare, tali hæreticum colore in libro de credendi utilitate (b) depingens: *Hæreticus est, ut mea fert opinio, qui alicujus temporalis commodi, & maxime gloriæ principatusque sui gratia, falsas ac novas opiniones vel gignit, vel sequitur.* Quam descriptionem, ne nimis late petita videretur, ita alibi (c) exponit: *Qui in Ecclesia Christi morbidum aliquid pravumque sapiunt, si correpti, ut sanum rectumque sapiant, resistunt contumaciter: suaque pestifera & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici sunt, & foras exeuntes, habentur in exercentibus inimici.* Ubibreviter prædicata hæretici, ab Augustino allata perquirenda sunt. I. itaque scopus Augustini non fecit calumnias vel falsa scommata, quibus cœtus aliquis alium proscindere solet, tam atrociter compluries, ut internecina quoque odia inter utrasque partes enascantur, & alter alteri nitiidissimum Solis fulgorem invideat. Verùm de illo agitur, qui morbidum aliquid pravumque sapit in Ecclesiâ, i.e. qui dissentaneum quippiam à veritate cœlesti, in divinis Scripturarum Pandectis revelatâ, fovet. Nam quicumque eam aliter intelligit, quam sensus Spiritus Sancti flagitat, à quo conscripta est, licet de Ecclesia non recesserit, tamen hæreticus appellari potest, & de carnis operibus est, quæ pejora sunt. Hieronymi (d) sonant verba. Quibus gemina Augustini (e) exhibet: *Natae, inquit, sunt hæreses, dum Scripturæ bonæ intelliguntur non bene, & quod in eis non intelligitur, etiam temerè & audacter asseritur.* In quibus dictis si-

N 2

gnifi-

(a) vid. Plutarch. de Reg. Republ. (b) cap. 1. (c) de Civ. D. lib. 18. cap. 51. (d) ad Galat. (e) Hom. 8. in Joann.



gnificatio vocis *hæreseos* paulò laxius extenditur, quomodo Romanen-  
 ses *κακόζηλοι* omnes illos, qui à traditionibus suæ Ecclesiæ discedunt,  
 hæretici epitheto insignire solent. Ita famigeratissimus vetustæ uni-  
 versitatis Pragensis Cancellarius, *Rodericus de Arriaga* (a) scribit: *Uno ver-  
 bo dicimus, eam propositionem esse hæreticam, quæ est apertè contra sensum Eccle-  
 siæ.* Ad Pontificiam autem respicit, quasi vero illa præ aliis peculiari in-  
 fallibilitatis privilegio gaudeat, & omnibus leges dare possit, cum  
 tamen in proclivi sit, quòd non rarò in sinu suo hæresiarchas, in publi-  
 cis conciliis damnatos educaverit. (b) sed τυφλὸν δ' ἔχει ἤτοι ὁμιλοῦ ἀνη-  
 δρῶν ὁ πλεῖς. Justo quoque rigorosius est hujus censoris Judicium  
 quàm ut admitti queat. Porro qui hæretici vocantur, eos ante in  
 Ecclesia Baptismatis lavacro initiatos fuisse oportet, quoniam in Pa-  
 ganos Ecclesia Censuram exercere non præsumit, præeunte maximo  
 inter Apostolos Doctore I. Cor. v. 12. *Τί γάρ μοι καὶ τὸς ἔξω κείνεις, ἢ καὶ  
 τὸς ἔσω ὑμεῖς κείνεις, τὸς δὲ ἔξω ὁ Θεὸς κρίνει.* II. Prædicatum sive requisi-  
 tum hæretici, juxta Augustinum est, *Conceptum errorem contumaciter de-  
 fensare*: E pertinaciâ namque primariò judicandum esse hæreticum,  
 viri judiciosi existimant, quod ipsi etiam Pontificii non inficiantur.  
*Hæreticus*, ait Emanuel Sa, (c) *non est censendus, qui ex infirmitate animi de  
 fide dubitat, in dubio enim non est pertinacia, quæ ad Hæreticum requiritur.*  
*Possunt sententiæ lethales non pessimis ingenii innasci, adeoq; cum hæretica opinio-  
 ne nonnunquam catholicus animus consistit, plane ut agere iniquum quid, etiam  
 minimè iniquus potest, ut (d) rectè Excellentissimus Contingius, recon-  
 dita Eruditionis corculum, judicat.* Quare citatus Apostolus, Eccle-  
 siæ Doctores suadet, ut hæreticum semel atq; iterum admonitioni-  
 bus corrigant, an forte resipiscere velit, & in viam rectam reverti.  
 His præmissis, ad statum Controversiæ devolvimur, *An nimirum nostri  
 Armenii hæretici sint?* Quod negamus, Christianis eosdem adnumeran-  
 tes, ut ut hæreticum & Christianum esse, contradictionem non impli-  
 cet, ceu gemebundæ Europæorum Ecclesiæ affatim pro dolor! conte-  
 stantur. Dicis, falsis dogmatibus Armenios infectos, & contra Artic-  
 los fidei fundamentales constitutivos (ut loquuntur in Scholis Theo-  
 logorum) pugnare; jam de quibus illud prædicatur, isti hæreticorum  
 stigmatem notandi sunt. Atqui de Armeniis illud prædicatur, quòd Arti-  
 culos fidei fundamentales constitutivos impugnent, E. Ut potiora tan-  
 tum

(a) *Curs. Th. T. 5. Disp. 20. p. 250.* (b) *vid. B. Dn. Gerhard. Confess. Cathol. lib. 1, General part. 2. cap. 2.* (c) *in Aphor. Confess. pag. 176.* (d) *Præfat. in Polit. Aristot.*



tum capita è præcedentibus percurram, (a) magni ponderis error est; negare processionem Spiritus Sancti à Patre & Filio simul, quamvis eum levem quidam ex Pontificiis & Reformatis judicaverint. Frustrà certè articulus iste Symbolo Constantinopolitano non est insertus, neque pauca ex hypothese Græcorum absurditates inferuntur. Negat à quippe processionem Spiritus S. à Filio, negatur pariter, *Spiritum S. esse suum à Filio accipere*, quod verbis τὸ σῶμα τῆς ἀληθείας, ex Joh. XVI. 13. ἐκ τῆς ἐμῆς λήφεται; contrariatur. Conf. Gal. IV. 6. 2. Thessal. II. 8. Infertur ulterius, *Spiritum non esse æque Filii, uti Patris Spiritum*, quia hujus est per æternam spirationem; & quod præcipuum est, confunditur Persona Filii cum personâ Spiritus Sancti, velut B. Hornejus notavit, ubi realis distinctio unius ab altero sedulo & cautè observari debet. (α) (β) Nec leviùs peccant, Pelagianismo applaudentes, quando dicunt, homini post lapsum remansisse liberum arbitrium, & cum generali DEI concursu in benè operando etiam propriam hominis voluntatem occupari. (γ) Eutychianismum propagantes, quo plerique Græcorum hodiernum infecti sunt. Nam, quod repudium ei nunciaverint, ut quidam cum Brerewodo opinantur, nondum satis probatum est, aut rationibus evictum. (δ) Accedit denique, quòd in multis Judaicorum vexilla sequantur, è quibus omnibus manifestum esse videtur, Armeniis hæreticorum axioma competere. At respondemus, nos eo ipso, quòd Armenios inter hæreticos non retulimus, erronea eorum dogmata nequaquam vel approbare, vel extenuare velle, sunt enim ea manifesta, & velari nequeunt. Ecclesia Christ. in primo N. T. seculo, παρθένος καὶ ἀδιάφθορος (b) plurimum profectò decoris successu temporis perdidit, exsurgentibus ex orcina voragine tot ac tantis hæresium hydris, adeoque si & nostram Armenicam Ecclesiam, sub ortum paulò puriorem quàm in progressu, fuisse asseramus, fortè non errabimus. Quod autem ad allatam objectionem spectat, limitatè dicimus, quòd iis, qui fundamentalia fidei capita pertinaciter infringunt, hæreticorum stigma inuri debeat. Locum hic fortè habet Andreæ Ramsæi, Theologi Scoti, *distinctio inter hæresin secundùm materiam & formam consideratam*. Materialis, sive secundùm materiam hæresis est negatio simplex Articuli fidei, Formalis, si accedat pertinax illius defensio (c) Materiate nus, ut ita loquar, Armenii errarunt in capitibus fidei, quòd verò cum intentione & pervicacia id fecerint, fortè probari satis firmiter

N 3

non

(a) vid. D. Calov. Or. p. 31. (b) Egesipp. ap. Euseb. l. 3. Hist. Ecc. c. 32. & l. 4. c. 22.

(c) in Paranesi Irenica de pace inter Evangelicos procuranda, ad Joh. Spetsvrod. Archiepisc. Scot. Conf. D. Calov. Orat. de Græc. Fide. p. 29.



non potest. II. Neque ex aliquot relationibus Pontificiorum (qui se ipsos foricis instar produnt, quando

*Turpia dilatant patulos convitiarietibus;*)

alicujus Ecclesiæ fides & religio æstimanda est. Sanè qui has traditiones absolutè admittit, nimia credulitatis vitio laborare mihi videtur. III. De gravissimo Græcorum errore in Articulo de Spiritu Sancto, itemque de Eutychnismo, apud Armenios recentiores profligato, ex Confessione, à sapientius laudato Dn. Ursino ut & à Brerewodo (a) citata, certi propè esse possumus. IV. Propter dissonantiam rituum Ecclesiasticorum, Christiani cœtus ab Ecclesiæ ovili segregari non debent. Malè audit Victor Roman. Episcopus, qui sedit circa finem seculi à N. C. secundi, quòd Asiaticis Ecclesiis propter controversiam de celebrando Paschate hæreseos notam inuere voluit. (b) Non solebant veteres omnem dissensum tanto rigore persequi, aut protinùs de salute eorum desperare, de quibus reducendis spes supererat, cum homines errare posse intelligerent; sed mitiùs eos tractabant, ne Ecclesiastica concordia & tranquillitas rumpereetur. Eleganter pro nobis eloquentissimus Augustinus disserit. (c) *Qui sententiam suam, quamvis falsam atque perversam, nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audacia præsumptionis suæ pepererunt, sed à seductis atq; in errorem lapsis Parentibus acceperunt, quærunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint, nequaquam sunt inter Hereticos deputandi.* Non dubito, DEUM in Armeniis habere suam Ecclesiam selectam, & errantes aliquando in rectum tramitem reduciturum esse, quod ipsum ex toto pectore etiam atque etiam precor!

## QVÆSTIO II.

Ad quos Armenii in Religione maximè inclinent?

Quantopere sudarint Pontificii, ut inter Orientalem & Occident. Ecclesiam fœdus conciliarent, neminem, qui historias paullo penitius inspexit, fugere existimo. Hoc ipso enim sub prætextu fimbrias Jurisdictionis suæ latius protendi subsolacientes, nihil prætermiserunt, quod ad exsequendum consilium suum facere visum fuit. Eâ fini iteratæ sunt Legationes & colloctiones, quibus quantum obtinuerint, ipsa experientia eloquitur. Gloriatur quidem de Symphoniâ Græcorum cum Romanensibus Allatius, (d) calumnias multorum ex ordine Pontificio malignè jactatas detestans: Imò Antonium Caucum, Archi-

(a) p. 189. Scrut. Relig. (b) Euseb. l. 5. c. 24. (c) Epistol. 162. (d) l. 3. c. 15. & 16.



Archiepiscopum Corcyrae, impudenter de illis mendacia sparsisse  
 conqueritur. Sed gratis se in Græcos benevolum fuisse, postmodum  
 ipse agnovit, quando diversos ex illis contra se & Romanos styli arma  
 fumere vidit, meditatamque concordiam infringere. Adeò Ponti-  
 ficiis familiare est, victoriam canere ante Triumphum! Eandem  
 laureolam in hoc mustaceo quæ siverunt ante aliquot supra triginta  
 præsentis seculi annos, qui Reformati appellari gestiunt. *Non sumus  
 separati, scribit Crocius Calvinianus (a) ab Orientalibus Ecclesiis fidem  
 Christianam profitentibus, spiritus vinculo manemus conjuncti.* Quibus ad te-  
 stimonium Cyrilli Lucaris respexisse videtur; quem ambitioso fastu  
 seductum (cum Rector primùm Scholæ Ruthenorum Ostrogenis,  
 post Exarchus & Archimandrita esset) pellaciæ & pecunia, à reforma-  
 tis peregrinis accepta, ut Calviniana dogmata in Oriente dissemina-  
 ret, ad urbem Constantinopolin traxerunt. Ibi cum Confessionem  
 suo & Ecclesiarum Orientalium nomine ad Palatum Reformatorum  
 edidisset, ad infame tandem strangulationis supplicium adactus est;  
 reclamantibus videl. & damnantibus Græcis Calvinianismum. Nam  
 nec per somnum iis in mentem venerat, absolutum ut prædestinatio-  
 nis decretum crederent, (ex quo puncto Pontificii bestialis religionis  
 Calvinianos accusant, quæ DEUM faciat causam peccati: ceu notat fa-  
 migeratis. Theologus Dn. D. Danhauer. Dissert. de Fato Otomanni-  
 co p. 22.) aut præsentiam corporis & sanguinis Christi in Sacra Cœna  
 negarent. Id quod fortè Leidensi Theologo D Joh Hoornbekio (b) scri-  
 bendi ansam præbuit, quòd *Orientalis cum multis in Europa Ecclesiis in con-  
 sensum melius reduci possint, atq; cum Reformatis.* A quo non abludit Ed-  
 win Santes Angelus, (b) disertè scribens: *Longè alius sententia sunt Græ-  
 ci, quàm Protestantes, in illo Articulo, DEUM scilicet O M ut aliqui eorum sta-  
 tuunt, maximam partem hominum ex absoluto decreto aeternum reprobasse. Sta-  
 tuunt enim illi, ex adverso potius, abominandam esse hanc sententiam & horren-  
 dam blasphemiam, divinæ naturæ è diametro repugnantem.* Subjicit etiam  
 idem auctor, Episcopum quendam Græcum Doctrinam hanc publicè refutasse,  
 librumq; illum Genevensibus transmississe, quibus hæc doctrina originem suam debet.  
 Quod autem de Orientali Ecclesiâ *ἡριζωσ* sumtâ dictum est, id quò mi-  
 nus *εἰδιωσ* de Armenica intelligamus, nihil vetat. Jam enim anno  
 Epochæ Christianæ 1533 LXIII. Photius Armenios cum Roma-  
 nensibus conspirasse jactavit, sed vanè admodum, uti in præcedenti-  
 bus demonstratum est. Nihil jam dicam, hos à Græcis Anno Do-  
 mini

(a) *Antit. Becan. c. IIX. n. 34.* (b) *Summ. Controv. (c) Relat. de Relig. Græc.*



mini M. CC. VIII. esse excommunicatos (a) Ovum sane, quod ajunt,  
 Genebrardus tondet, & in aëre libero piscatur, quando scribit, (b) Eos  
 non nisi in quibusdam ritibus & ceremoniis differre à Romanis, & Romanam re-  
 ligionem esse Catholicam, & per totum Orbem usurpari. Cùm plurimum hi  
 ab istis dissideant. Re&e igitur Abraham Echelenis Maronita, Roma-  
 nus Professor, palàm fatetur, Nationes istas, ( loquitur de Asiaticis  
 & Africanis) tam inter se, quam cum Romana Ecclesia inveterata odia, eaq; in-  
 credibilia exercere. Annon hoc est, proprio se gladio jugulare, & Papico-  
 lis in faciem contradicere? Non obscurum præterea consilium est  
 Christophori Liconati, Æthiopum in Lusitaniam Anno 1534. lega-  
 ti, qui Syncretismum in Oriente introducere laboravit, statuens, Chri-  
 stianos homines, sive Armenios, sive Æthiopes, sive ex quavis septem Ecclesiarum  
 Christianarum, in Charitate & Christi amplexibus sustinendos, quoniam omnes  
 filii Baptismi sumus. (d) Nihilotamen minùs ipse *κακοδομίας* suorum dogma-  
 tum cum Romanorum sententiis in aliquot capitibus exposuit, ut ita  
 ceptum illud juxta amussitatum Magnifici Dn. Calovii (e) judicium,  
 parum momenti habeat. Restat proinde, ut Armenios in religione proxi-  
 mè ad nos accedere concludamus, dummodò Confessio à Pl. Reve-  
 rendo Dn. Ursino citata, genuina est habenda, in qua errores circa art.  
 de Spir. S. & duabus in Christo naturis, nec non alios correctos depre-  
 hendimus. Optamus interim, ut meliorem quis & pleniorum de eorum  
 fide informationem suppeditet; qua felicitas cùm nobis hæc enis non  
 contigerit, præfenti Catone contenti sumus, oportet. Cæterum ar-  
 dentibus precibus Solem veritatis Christum Jesum cum Patre & Sancto fla-  
 mine sollicitamus, ut veram Ecclesiam omni sorde defecatam, inter  
 tot mundi freta inconcussam servet, & adversus omnes hostium impe-  
 tus ac sævitiam Omnipotentiaæ suæ præsidio ad finem usque seculi  
 teneatur!

**J**AM tot tantisq; difficultatibus superatis vela contraho, & ta-  
 bulam, non fratribus Helenæ, nec litoralibus DIs, ut gentiles  
 solebant, sed DEO Ter Optimo, Ter Maximo, itineris mei Cy-  
 nosuræ, ob navigationem non irato fidere aut invido No-  
 to expeditam, in devoti pectoris Sacello grata  
 mente suspendo.

(a) Baron. Tom. X. conf Genebrard. l. 4. p. 579. (b) l. 4. p. 620. & p. 754. (c) Controv.  
 dia Nation. Christ. (d) Hoornbek. Summ. Controv. p. 98. (e) Orat. cit. pag. 20.

Pauca quæ fortè irrepsere errata, cum jam notare non liceat, Lectoris bene-  
 volentis facile emendabit.